

DE
VARIATIONE
PROTESTANTIUM
CIRCA DOCTRINAM
DE
JUSTIFICATIONE

DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM

CUM SELECTIS EX UNIVERSA THEOLOGIA
POSITIONIBUS

IN

ALMA ELECTORALI SEMPERQUE CATHOLICA
UNIVERSITATE MOGUNTINA

PRO CONSEQUENDA SUPREMA DOCTORATUS THEOLOGICI
LAUREA, PUBLICO TENTAMINI

SUBMITTIT

LUDOVICUS PHILIPPUS DE HAGEN

INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIAT. AD S. STEPHANUM CA-
NONICUS DOMICELL. SS. THEOLOGIAE BACCALAUREUS
BIBL. RT FORM.

IN AULA MAJORE ACADEMICA

DIE 22. JANUARIJ MDCCLXXXVIII.

MANE HORA 9 - II, A PRANDIO HORA 2 - 4.

MOGUNTIAE,

Ex Typograph. Elect. Aul. Acad. priv. apud J. J. ALEF,
Haered. HAEFFNER.

PROTESTANTUM

CIRCA DOCTRINAM

2m. Bant. 371

3000.330000

2m

DISERTATIO THEOLOGICA

QUAM

CONSTITUIT ET DEFENDIT THEOLOGUS

ALMA MATER OMNII THEOLOGIE CATHOLICAE
UNIVERSITATIS MOGUNTINAE

PRO CONSTITUENDA SECUNDA DOCTORATUS THEOLOGICI
LAUREA, PUBLICO TENTAMINI

SEMITIT

LUDOVICUS PHILIPPUS DE HAGEN

INSINUATIONE REVERENDI COLLEGII AD S. STEPHANUM CA-
MONTIS MOGUNTINAE, SUI THEOLOGICI BACCALARIUS
BIBL. ET TORNI.

IN AULA MAJORE ACADEMICA

DIE . . . JANUARIJ MDCCXXXVIII

MAJE HORA 9 - 11, A PRANDIO HORA 2 - 4

MOGUNTIAE

EX Typograph. Elzev. Auf. Acad. p. J. J. Altm.
Hensch. Haeften.

REVERENDISSIMO

PERILLUSTRI

AC

PERQUAM GRATIOSO

DOMINO

D. GEORGIO
JOSEPHO
DE ECCART

EPISCOPO JOPPENSIS, EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI ET ELECTORIS MOGUNTINI SUFFRAGANEO ERFORDIENSI, EJUSDEMQUE CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, UNIVERSITATIS ELECTORALIS ERFORDIAE PRO-CANCELLARIO, ECCLESiarUM COLLEGIAT. AD S. STEPHANUM ET AD GRADUS B. M. V. MOGUNTIAE SCHOLASTICO. CETERA.

PATRONO SUO SUMME VENERANDO

IN

PERPETUUM DEVOTI ANIMI
MONUMENTUM

DEDICAT

AUCTOR.

DEUS TERRAE OPTIMO

PERILLUSTRI

NO

PEROUAM GRATIAS

RO M A O

D. GEORGIO

JOSEPHO

DE ECCLIA RT

EPISCOPO JOBBENS, EMINENTISSIMI AR-
CHIEPISCOPI ET RECTORIS MOUNTINI
SUPRAGANEO EFFORDIENSIS, EIUDEM-
QUE CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, UNI-
VERSITATIS ELECTORALIS EFFORDIAE PRO-
CANCELLARIO, ECCLESIAE COLLEGIAT.
AD STRASBURGUM ET AD GRADUS B. M. V.
MOUNTINAE SCHOLASTICO. CITRA.

PATRONO SUO SUMME VENERANDO

IN

PERPETUUM DEVOTI ANIMI

MONUMENTUM

DEDIGIT

AUCTOR.



DE
VARIATIONE PROTESTANTIUM
CIRCA
DOCTRINAM DE JUSTIFICATIONE.

DISSERTATIONIS SCOPUS.

Ad componendam controversiam de justificatione inter protestantes et catholicos ortam utraque ex parte jam olim adlaboratum esse notissimum est. Hac super re scriptis disputarunt utriusque partis theologi; haec in colloquiis auctoritate publica inter utrosque habitis summo studio agitata; haec demum in Conc. Tridentino discussa fuit, nec quidquam majores nostri intentatum reliquere, quo litem hanc componere possent. Ast haec pacis consilia tam parum speratum sortita sunt effectum, ut potius iis frustra tentatis utraque pars firmiter suae inhaereret sententiae; ita, ut videatur hac ratione potius stabilitam,

litam, quam sopitam esse litem. Haec si consideremus, de reunionis negotio inter protestantes et catholicos circa hanc doctrinam merito jam conclamatum esse videri potuisset. Sed finis hic quominus obtineretur, non tam in componenda hac lite difficultas, quam potius *Lutheri* vehementior indoles, primorumque asectarum fervor nimis ac ipse aevi illius genius impediebat. Exorta enim erat haec controversia eo adhucdum tempore, quo gloriae ducebatur magis adversario, licet verum asserenti, non cedere, quam veritati porrigere manus, hac agendi ratione *Lutherum* quam maxime peccasse ipsi protestantes haud diffitentur.

Non sic protestantes recentiores. Hi sedato disputationis aestu tranquilliore animo rem indagantes perpensis utriusque partis motivis, potius S. S. effata secuti, quam *Lutheri* auctoritati adhaerentes, passim sententias ejus deseruere, atque veritate, quae antiquiores protestantes tamdiu latuit feliciter perspecta, eo devenerunt, ut, si ex recentiorum quorundam scriptis rem dijudicemus, exigua inter protestantes et catholicos differentia circa hanc doctrinam intercedat.

In hanc mutationem, quomodo successive inter *Lutheri* asectas invecata fuerit, inquirere proposui, quid scilicet *Lutherus* docuerit, indagare; quid confessiones fidei contineant, quid non exigui inter suos nominis theologi sentiant, et demum, quantum moderni protestantes a catholicis dissent, penitus examinare; idque eo magis operae pretium esse duxi, quo minus vero simile olim erat protestantes unquam ad concordiam hac in doctrina cum catholicis redituros esse.

S E C T I O I.

S Y S T E M A L U T H E R I.

§. I.

Lutheri initia.

Quo clarius *Lutheri* doctrinam exponamus, ad ejus initia redeundum est. — Exoptaverant diu ante *Lutherum* plures inter catholicos insignis pietatis viri reformationem ecclesiae in capite et membris, atque praecipue curiae romanae, commoti tanta abusu multitudine, qui ecclesiam devastabant; ferentes interim, quae emendare non poterant. Contra hosce abusus nimium veros, ut ait *Bossuet* a) vocem quoque extulerat *Lutherus* partim invidia, partim forte eo laudabili fine, ut e medio sublatis abusibus decor ecclesiae restitueretur.

Extiterat eo tempore tanta praecipue indulgentiarum multitudo, ut ipsa ecclesia eisdem modum ponere necessarium duxerit atque in iis concedendis moderationem juxta veterem et probatam in ecclesia consuetudinem adhiberi voluerit b). Earum virtutem monachi, quibus easdem in Germania depraedicandi provincia demandata fuerat, plus aequo extollebant. Contra hos tum viva voce, tum scriptis decertaverat *Lutherus*, praecipue notis illis thesibus *Wittenbergae*

a) *Histoire des variations des eglises protest. T. I. L. V. nro. I.* „qui n'etoient, que trop veritables.”

b) *Conc. Trid. Sess. XXI. de indulgentiis.*

gae publice defensis. Nondum in dogmate peccaverat, ut patet inde, quod nec ipsum Conc. Trid. easdem theses ceu haereticas damnaverit; verum partim disputationis aestu abreptus, partim vehementioribus adversariorum scriptis contra eum editis, qui non raro duriore modo eum perstrinxerunt, accensus, indulgentiis plus aequo derogans, ad alia quoque dogmata, de quibus aut negandis aut immutandis initio forte non cogitaverat, processit. Depraedicaverant monachi ad id non solum indulgentias, ut hac ratione poenae quaedam temporales remitterentur; sed ipsa quoque peccata iisdem extinguere, falso jactaverant, et ut animadvertit *Bossuet* c) in indulgentiis, peregrinationibus, elemosynis totum pietatis fundamentum reponebant. Pronus erat hic *Luthero* transitus ab indulgentiis ad justificationis doctrinam, qui hoc praecipue medio eas prorsus tollere cogitaverat, si negaret opera bona ad justificationem atque salutem aeternam consequendam esse necessaria.

§. II.

De justificationis notione.

A justificationis notione ejusque inter catholicos et protestantes diversitate diversa dependet circa justificationis

c) l. c. „quoique la saine doctrine subsiste toujours également dans l'église, elle n'y étoit pas également bien expliquée par tous les prae dicateurs. Plusieurs ne prêchoient que les indulgences, les pelerinages, l'aumone donnée aux religieux, et faisoient le fond de la piété de ces pratiques, qui n'étoient que les accessoires.”

stificationem doctrina. Aliam autem statuunt catho-
 lici, aliam protestantes; utraque S. S. effatis inniti-
 tur. Justificatur homo juxta *Lutheri* sententiam,
 dum poenis peccatorum absolvitur; sicut condemna-
 tur, si judex poenas in eum decernat. Hanc no-
 tionem ut admitteret commotus fuerat nonnullis S. S.
 effatis praecipue V. T. in quibus hoc sensu justifica-
 tio sumitur, modo sc. forensi, pro justificatione so-
 lum externa, pro immunitate tantum a poenis pecca-
 torum. Hae voces *justificare et condemnare*, dum
 S. S. de justificatione agit, sibi invicem opponuntur,
 quae cum significationem forensis habeant, omnem
 justificationis ordinem modo forensi explicandum cen-
 suit *Lutherus*. Praeterea in S. S. non raro justifica-
 tio sub forma judicii, quod Deus cum homine in-
 stituit, describitur, unde eo magis sententiam suam
 stabiliri putabat. In judiciis vero humanis, ad quo-
 rum anallogiam justificationem proponebat, dum is,
 qui accusatus fuit, justificatur, solum poenis pro de-
 licto statutis liber pronuntiatur; pari itaque modo
 dicendum duxit *Lutherus*, hominem justificari co-
 ram Deo, dum poenis pro peccatis promeritis ab-
 solvitur, eumque impunem Deus dimittit. Confir-
 mabat *Lutheri* sententiam vis vocabuli *condemnare*,
 quod cum in S. S. voci *justificare* opponatur, nec
 quid aliud quam poenae inflictionem includere possit;
 ad solam quoque poenarum remissionem vocabuli ju-
 stificare restrinxerat significationem. Itaque homo
 justus a Deo reputatur, non quasi nulla amplius pec-
 cati macula in eo resideat, sed solum peccata meritis
 Christi teguntur; unde respectu Dei quidem sunt quasi
 non essent, non vero respectu peccatoris dici potest,
 quod interne justus sit.

Ad has etymologicas rationes et illud accedebat, quod homo legem *perfecte* servare non possit, id quod *Lutherus* ad id necessarium crediderat, ut homo vere justus dici posset. — Remanet praeterea concupiscentia ex peccato protoparentum relicta, quam non *improprie*, ut docebant catholici, sed *proprie* peccatum esse assererat; quae cum minui quidem, non vero teste apostolo, omnis auferri possit, hominem vere justum dici posse et ex hoc fundamento negabat. — Blasphemum praeterea duxerat *Lutherus* asserere, eum a Deo haberi justum, quem graviter deliquisse certo cognoscit. — Non negabant catholici hanc poenarum peccati remissionem, solum addi volebant necessariam quoque esse ad justificationem cordis conversionem, ut qui antea vere peccator fuit, vere quoque et interne justus dici posset. Hujus inhaerentis, ut vocant, justitiae adversarium se semper ostenderat *Lutherus* eamque tanquam humani fastus partum arguebat, quasi praesumerent exclusis meritis Christi se justos coram Deo constituere. In hanc non semel summopere invehitur; sicut altera ex parte justitiam Christi nobis imputatam summopere extollit. Hac imputatione meritorum Christi omnem absolvi docebat justificationem, et quam catholici requirebant cordis conversionem potius justificationis consecrarium esse voluit.

§. III.

Justificationis conditiones.

Christus vel simpliciter sua homini confert beneficia, vel, ne in vitis obtrudantur, ex parte nostri quaedam requiruntur conditiones, quibus praestis

tis beneficiorum Christi participes efficimur. Quae-
 nam vero haec conditio quam Deus ad justificationem
 a nobis exigit? inquit *Lutherus* fidem requiri, eam-
 que solam sufficere. Summam fidei virtutem tribue-
 bat tum in justificationis negotio, tum in sacramen-
 torum efficacia; ex sola fide omnis eorum virtus de-
 pendet atque pro diversitate fidei effectus quoque sa-
 cramentorum diversus est; sola fide, exclusis omni-
 bus operibus a Deo justificamur. Hoc pluribus in
 locis summo cum fervore inculcat. *In cap. II. ad
 Galat.* verba Christi Luc. XIV.: Sic ergo omnis ex
 vobis, qui non renunciat omnibus, quae possidet,
 non potest meus esse discipulus, hominibus applicat,
 qui operibus suis justificari se posse credent. „ Sic
 enim, inquit, conclusit (Christus) parabolam hanc:
 sic omnis, ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus
 quae possidet, non potest meus esse discipulus; hoc
 est, non eris christianus nisi sola fide nitaris, justiti-
 is tuis penitus rejectis.” Et *in cap. III. ad Galat.*
 ait: „ vides ergo, quid sit per fidem Christi justificari,
 nempe per legem cognita iniquitate et infirmitate tua
 desperare de te, de virtutibus tuis, de lege, de ope-
 ribus profus de omnibus et cum tremore ac fiducia
 inhumilitate implorare solius Christi dexteram, seu
 manum mediatoris, fortiter credens quod gratiam
 consequaris ” Praecipue autem invehebatur in dis-
 positiones aut praeparationes, quas catholici justifica-
 tionem praecedere debere docebant. In actis apud le-
 gatum Augustae vindelicorum, ubi variis S. S. locis
 demonstrare conatur sola fide justificationem nobis ob-
 tingere, de dispositionibus ait: „ Si autem dixeris,
 quid, si sim indignus et indispositus ad sacramen-
 tum? Respondeo per nullam dispositionem efficiaris
 dignus, per nulla opera aptus ad sacramentum, quia
 sola

sola fides verbi Christi justificat, vivificat, dignificat, praeparat, sine qua omnia alia vel sunt praesumptionis vel desperationis studia. — Pariter in conclusionibus suis d), ubi contra *Eccium* majore cum vehementia disputat, adducens textum *Pauli* ad Rom. X. inquit: „vide, ut hic soli fidei tribuat justitiam, adeo, ut solum cor nominet, caeteris membris, quae operantur tacitis, ore, inquit confessio fit ad salutem, sed ubi jam justificatus est per fidem.” Ordinem hic inverti arbitratur, si justificationem opera bona praecedant.” Dicam ergo, inquit l. c., ut nugae istas insulas sophistarum praeteream, nulla opera justificant, sed sola fides, justificatus autem facit opera; sic enim habet sensus sacrae scripturae, ut justificatio prior sit operibus et opera fiant a justificatis. Non enim ut errat *Aristoteles* iusta faciendo iusti efficiuntur, sed iusti facti operantur iusta; sicut non fit episcopus opera episcopi faciendo, sed episcopus factus facit opera episcopi; sic non opera fidei faciunt fidem, sed fides facit opera fidei; sic non opera gratiae faciunt gratiam, sed gratia facit opera gratiae. Inde est, quod *Deus* respicit primum ad *Abel*, in quo sibi placet, et sic tandem ad opera. Hoc est, quod vult *apostolus*, quod sola fide justificemur, non operibus, licet opera jam justificati non omittamus.” — Huic *Lutheri* doctrinae a catholicis *S. Jacobi* auctoritatem oppositam fuisse notissimum est, qui non solum opera a justificatione non excludit, sed eadem potius necessaria esse docet. Hanc difficultatem ut evitet, ait: „quod autem *Jacobi* epistola inducitur, fides sine operibus mortua est; primum stylus epistolae

d) *Conclus. VII.*

stolae illius longe est infra apostolicam majestatem, nec cum Paulino ullo modo comparandus." Reprehendit dein theologos, quod hanc unam auctoritatem mordicus teneant, nihil prorsus curantes, quod tota alia scriptura fidem sine operibus commendet. Demum in cap. II. ad *Galat.* inquit, „sola enim fides Christi necessaria est, caetera omnia liberrima, neque praecepta amplius neque prohibita.”

Fides vero in S. S. diversissima accipitur significatione: tum pro *fide objectiva*, pro ipsa scilicet fidei doctrina, quae creditur; hoc sensu disciplinam Christianam *Paulus* laudat ad Rom. I. 5. Tum pro *fide subjectiva*; atque haec consistit tum in *assensu* quocumque verbis alterius praestito, Joann. V. 46.; tum in *firma assensione*; in qua significatione opponitur incertae opinioni ac dubitationi, ex qua assensione animique persuasione oritur fiducia. Unde fides et fiducia non raro in S. S. promiscue sumuntur. Matth. IX, 29. XV. 28. Tum sumitur pro *fideltate* in servandis promissis. Distinguunt ulterius protestantes fidem *historicam*, quae historiam Jesu Christi tenet ad Rom. X, 9. I. ad Corinth. XV. Joann. XX. *Dogmaticam*, quae sine dubitatione dogmata religionis pro veris habet, licet illa ratione assequi nequeat. Demum *fidem promissionum divinarum* in evangelio contentarum. Consistit haec fides in expectatione implendae promissionis divinae, atque in persuasionem, eam unice promitti ac tribui propter Christum. Haec fides vel *generalis* est, qua quis credit, omnibus fidelibus promissam esse salutem; vel *specialis*, qua sibi quisque has promissiones applicat atque sibi in specie promissa esse credit. In tanta significationum diversitate quaeritur, qua fide nos

nos justificari debere docuerit *Lutherus*. — Exigebat hanc fidem specialem in misericordiam Dei atque merita Christi, eamque justificantem appellant protestantes. Hac ratione corrigere volebat catholicorum, ut ipsi quidem videbatur, superbiam, quos solum exigere credebatur fidem historicam in Christum, fiduciam potius in operibus suis, quam in misericordia Dei meritisque Christi collocantes. Hanc fiduciam solam necessariam asserit in *cap. II. ad Galat.*

„ Igitur si te conscientia vexat et quaeris fieri justus, quid facies? an circumspicies quaenam opereris, aut quo eas? non, sed vide ut nomen domini vel audias vel recorderis, hoc est, quod Deus est justus, bonus, sanctus, et mox huic adhaere, firmiter credens, eum esse tibi talem, et simul tu jam talis es similis ejus; verum nomen domini nunquam clarius videbis, quam in Christo, ibi videbis quam bonus, fauvis, justus, verax sit Deus, ut qui proprio filio non pepercit, hic te pertrahet ad se ipsum ” Atque dein subjungit, dum differentiam justitiae legis et evangelii ex textu *Pauli* deducit, qui priore reprobata posteriorem commendat.

„ Ita et tu facias charissime frater, audi primum, quod Jesus significet salutem et Christus unctionem misericordiae, et in auditam hanc misericordiam crede firmiter et justificaberis; hoc est, crede eum tibi fore salutem, et ita erit sine dubio.”

Hac sola fiducia, juxta *Lutherum*, ad justificationem opus est; hanc solam morientibus inculcandam censet e). „ Proin placet iste modus, quod morituris non nisi Christus inculcatur, et ad fidem ac spem hortantur. Hic saltem, quantumlibet totam

nostram

e) in *cap. V. ad Galat.*

nostram vitam illuserint mentium deceptores, ruit liberum arbitrium, ruunt bona opera, ruit legis justitia, reliqua sola fide et invocatione purissimae Dei misericordiae; ita ut mihi saepe fuerit opinio, in morte aut plures aut meliores esse christianos, quam in vita; nam quanto purior ab omnibus operibus fiducia et absolutior in solum Christum, tanto meliorem reddit Christianum." Familiaris erat *Luthero* distinctio inter observationem legis et promissiones evangelii. Ad has pertinet et justificationis beneficium, quae cum gratuita sint, nec, ut firmatae sint, operum nostrorum conditionem requirant, sed sola nitantur misericordia Dei et meritis Christi; nil aliud requiri putabat, quam ut fide modo descripta accipiantur. — Nitebatur ulterius *Lutheri* doctrina male intellectis *Pauli* effatis in epist. ad *Rom.* et ad *Galat.* In illa apostolus judaeorum reprehendebat superbiam, qui cum iuxta legem jam antea vixerint, gentiles vero omni revelatione ac lege destituti fuerint, prerogativam sibi quandam arrogabant, quibus potiore jure praedicaretur evangelium. His ostendit *Paulus* operibus legis neminem justificari posse, unde judaeos aequae peccatores esse gratia evangelii indignos concludebat ac gentiles lege prorsus destituti. — In hac vero, cum *Galatae* jam conversi retinendam putarent legalium observationem, docebat apostolus, sublatam esse per Christum hanc necessitatem; sola potius fide, exclusis scilicet hisce legalibus, justificari peccatores; haec opera legalia adeo superflua esse et ad justificationem impertinentia, ut, si quis in his potius collocaret fiduciam, quam in Christo consideret, eum gratia justificationis certo frustrandum esse. — Dein dicimur in S. S. gratis justificari; pluribus in locis justificatio donum appellatur

latur et gratia, quae ob merita Christi nobis obvenit; si vero ex operibus, concludebat *Lutherus*, jam non gratia, si vero gratis justificemur, quid operibus nostris opus est? nonne meritorum Christi detrahimus dignitati, si opera nostra ad justificationem exigamus? — Confundebat *Lutherus*, quae magis discernere debuisset, illud scilicet, quod aliud sit requirere opera tanquam dispositiones, aliud exigere eadem, ut eorum meritis justificatio nobis obtingat, qua sententia omnes catholici abhorrebant. — Demum, inquit *Lutherus*, si operibus justificemur, quomodo tranquilli esse possemus, nescientes, an opera nostra digna sint justificatione, an poenitentia sufficiens, cum potius altera ex parte certum sit opere nostra admodum imperfecta esse atque sexcentis de causis haud mereri justificationem? „Conscientiae turbatio, inquit in *cap. I. ad Galat.*, non quietatur nisi per pacem Dei, non ergo per opera cujuscunque virtutis aut satisfactionis.” Quid vero periculosius, quam in hac dubitatione relinquere hominum mentes? Omne autem tollitur dubium, si non operibus nostris, sed superabundanti merito Christi beneficium hoc nitatur. — Hac doctrina caveri voluit *Lutherus* superstitionem et superbiam; ita tolli impiam et gentilem doctrinam, quando remissio peccatorum per satisfatiunculas, per contritiones coactas fieri docetur, hac fidei in Christum doctrina prorsus omissa.

§. IV.

Justificationis certitudo.

Cum fide hac justificante, simul etiam, juxta *Lutherum*, conjuncta est certitudo justificationis obtentae.

tentae. Justificari nos docebat tum, cum credimus certo nos esse justificados, non certitudine aliqua morali, sed absoluta certitudine fidei, cui falsum subesse non posset, ita, ut peccator eadem firmitate credere deberet se esse justificatum, qua credit Christum in hunc mundum venisse. Neminem quidem posse esse certum de remissione peccatorum suorum, quasi Deus immediate id revelasset; sed fidelem evidenter deducere ex revelatis sibi remissa esse peccata, ideoque hoc credere certitudine fidei. Promissiones enim evangelii et justificationis proponuntur universaliter, unde propositiones singulares facile deduci poterunt, eadem certitudine certae ac illae universalis. Et in *cap. I. ad Galat.* dum commendat amorem Christi erga homines, qui nos redemit proprio sanguine, qui pro peccatis nostris traditus est sponte se offerens, certitudinem justificationis obtentae his verbis inculcat: „Fabulae ergo sunt opinatorum scholasticorum hominem esse incertum an in statu salutis sit, nec ne; cave tu, ne aliquando sis incertus, sed certus, quod in te ipso perditus. Laborandum autem, ut certus et solidus sis in fide Christi pro peccatis tuis traditi; quomodo fieri potest, ut hanc fidem, si sit in te non sentias, cum *B. Augustinus* asserat, eam certissime videri ab eo, qui habet. Nunc vide, Paulus non ait pro *vestris*, sed pro *nostris*, certus enim erat.” — Hoc absurdum necessario ex *Lutheri* doctrina sequebatur. Supposito enim quod fide sola justificemur, de hac fide autem quilibet certus esse possit, pari ratione et de justificatione obtenta certus esse poterat, sublato tum ex parte Dei, qui certissime promissis suis stabit, tum ex parte nostri omni dubitationis fundamento. Opponebant catholici, non quidem de firmitate promissionum divinarum dubitan-

dum

dum esse, dicente ipso Christo: coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Cum vero et ex parte nostri dispositiones quaedam ac conditiones requirantur, saltem hominem dubitare posse de justificatione, eo quod ignorat, num exacte omnia adimpleverit. Ad hanc enim certitudinem fidei obtinendam, cum nonnisi poenitentibus ac contritis obtingat justificatio, necessarium videbatur catholicis, ut de sinceritate quoque poenitentiae certi simus; haec vero certitudo, cum absoluta atque infallibilis esse nequeat, negabant merito catholici talem certitudinem circa justificationem obtineri posse. Admittebat nihilominus *Lutherus* certitudinem fidei de justificatione obtenta, licet pari ratione de poenitentia certi esse nequeamus. Haec certitudo ita necessaria erat, ut qui dubitaret an justificatus sit, hoc ipso hujus beneficii particeps esse nequeat.

§. V.

De operibus justificationem subsequens.

Contra opera a monachis praescripta initio decertaverat *Lutherus*, sed disputationis aestu abreptus incidit in scyllam, dum voluit evitare charybdim, et quae ante de praedictis solum operibus, de indulgentiis, peregrinationibus aliisque id genus docuerat, ad alia quoque bona opera extendit. Absurdiora sunt, quae initio de bonis operibus asseruit, quam ut referri mererentur, nisi ad cognoscendam *Lutheri* hac in re sententiam ipsius verba adducere necessum esset. Tanto cum fervore opera bona impugnabat, ut asserere haud dubitaret, ea non solum non prodesse hominibus ad salutem, sed adeo peccata esse et hominem

minem pejorem reddere. In *cap. II. ad Galat.* inquit: „caetera omnia opera (praeter fidem) etiam sacratissimae legis Dei adeo non praestare iustitiam, ut etiam peccata sint et hominem pejorem reddant coram Deo. Quin tanta esse peccata et a iustitia tam longe, ut opportuerit filium Dei mori quo iustitia nobis donaretur.” In *lib. de libert. christ.* ait: „bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala” et paulo post „ut infideli nullum bonum opus prodest ad salutem, sic e converso nullum malum opus facit malum et damnatum, sed sola incredulitas.” — Cum paululum a fervore rediisset hisce durioribus sententiis abstinuit quidem, pergebat tamen opera bona tanquam ad salutem nostram adia-phora contemnere.

Haec, quae modo attuli, *Lutheri* verba de operibus legis ceremonialis ab eo dicta fuisse videri posset; ast et de praeceptis decalogi se eadem sentire ipse fatetur in *cap. II ad Galat.* „Item et hoc observabis, quod opera legis generaliter dicit, non tantum ceremonialia, sed prorsus omnia, etiam decalogi,” addens rationem in idem cap. „Parum enim Christus contulisset, si solum peccata legis ceremonialis destruxisset. At quando etiam decalogi praecepta destruxit, a fortiori planum est et ceremonialia destructa esse et liberatas omnes leges.” Et pariter in idem cap. „Vides ergo, quam digne tractet scripturas apostolus, ita, ut impossibile sit eum intelligi ab iis, qui de lege ceremoniali tantum eum putant loqui. Nam eodem argumento concludit contra iustitiam decalogi; si operibus iustificari possimus, frustra est fides et benedictio *Abrahae* promissa in gentes diffundenda, cum

cum sine fide et benedictione illa sumus iusti." — Christus, sicut et apostoli, totus in eo erat, ut homines redderet virtutum cultores, non in hoc solum missionis suae summam reponens, ut doceret homines religionis veritates, sed ut mores juxta has conformaret summopere intendens. Contrarium docuit *Lutherus* et quod Christus tantopere inculcaverat bonorum operum studium, contrariis sententiis tanquam superfluum minuere conabatur, mox tamen, partim S. S. effatis cedens, partim eo commotus, quod urgerent eum catholici ob malas, quae inde fluebant sequelas, ipse saltem ita mitigavit sententiam, ut opera bona laude digna censeret, parique modo aedificae ejus mitius de operibus sentire incoeperunt. Hac *Lutheri* doctrinam plebem abusuram esse, atque inde orituram morum licentiam, facile erat divinare. Haec enim summe abhorrebat indulgentiis, peregrinationibus, cetera, quae ad nauseam usque multiplicatae fuerant; quid facilius, quam ut relictis hisce operibus haud necessariis ad salutem, in alterum extremum delapsa, necessaria quoque opera passim negligere inciperet? Recte observat *Bossuet f)* doctrinam de bonis operibus ita concidisse, ut *Lutheri* aedificae blasphemum esse duxerint docere necessitatem bonorum operum, alii asserere non erubuerint

f) l. c. t. i. L. V. nro. 12. „Après l'établissement de la justice imputée la doctrine des bonnes œuvres baissa tellement, que des principaux disciples de *Luther* dirent, que c'étoit un blasphème d'enseigner, qu'elles fussent nécessaires: d'autres passerent jusqu'à dire, qu'elles étoient contraires au salut, tous deciderent d'un commun accord, qu'elles n'y étoient pas nécessaires."

buerint ea salutem esse contraria; omnes vero eadem necessaria esse negaverint. Haec cum de necessitate bonorum operum docuerit, pronum est colligere, quod et eorum meritum tum respectu justificationis, tum relate ad vitam aeternam negaverit.

S E C T I O I I .

DOCTRINA CONFSSIONUM FIDEI
ET THEOLOGORUM LUTHERUM
SUBSEQUENTIUM.

§. I.

Confessio augustana.

Lutheri doctrinam primo referri oportuit, ut appareat, quantum confessiones fidei protestantium eandem deserant. Eam sequitur *confessio aug.* in comitiis Augustae Vindelicorum habitis imperatori exhibita 1530. auctorem habuit maxima ex parte *Melanchtonem* moderatioris ingenii virum. Multis in locis emendat duriores *Lutheri* expressiones, atque in quibusdam sententias ejusdem deserit.

Animadvertit *Bossuet* a) plurimos articulos in *conf. aug.* decisos esse ex mente catholicorum si fidem specia-

a) T. I. III. nro. 38. p. 153. „On sera étonné de voir tant d'articles de consequence décidés selon nos idées dans la confession d'augshourg, et enfin quand je considere ce qu'elle a trouvé de particulier, je ne vois, que cette foy speciale — et la certitude infailible de la remission des peches, qu'on lui veut faire produire dans les consciences.”

specialem et certitudinem infallibilem de remissione peccatorum exceperis.

Sejunxerat *Lutherus* remissionem peccatorum ab hominis sanctificatione, omnemque justificationem ad meram poenarum peccati remissionem restrinxerat. Magis conjungit ambo C. A. atque ex injustis nos reddi justos, simulque cum remissione poenarum spiritum S. nobis infundi affirmat *art. 5.* „et cum hoc modo consolamur nos promissione seu evangelio, et erigimus nos fide, certo consequimur remissionem peccatorum et simul datur nobis spiritus s.“ Licet *Luthero*, si verba spectes, consentiat, sola fide nos justificari, reipsa tamen solum operum meritum excludit, ne, quod soli Christo tribuendum est justificationis beneficium, in opera nostra transferatur, et ne intranquillae relinquantur hominum mentes, si tum solum obtingeret nobis justificatio, si operibus praecedentibus eam meriti essemus, aut digna esset poenitentia a nobis praestita. Unde licet doceat C. A. fide nos justificari, id tamen ita minime intelligendum esse, quasi fides ob praestantiam suam justificationem mereatur, ipsa monet; sed quod eam Deus constituerit conditionem, qua posita justii efficeremur, — Hoc meritum licet excludat, exigit tamen ipsa confessio poenitentiam ac contritionem, atque negat fidem posse existere in iis, qui poenitentiam non agunt — fidem, quam C. A. exigit, non historiae solum Christi cognitionem esse docet, sed firmam fiduciam in merita Christi atque Dei misericordiam peccata nobis remittentis. Hac ratione *Paulum* et *Jacobum*, qui circa operum necessitatem dissentire videntur, conciliare studet *b)*, „et cum hoc modo
fides

b) art. 20. de fide.

fides intelligitur de fiducia misericordiae, non dissentiant inter se *Jacobus* et *Paulus*. Quod enim inquit *Jacobus* daemones credunt et contremiscunt, intelligit fidem de noticia historiae, haec non justificat — — — *Paulus* vero cum inquit, fides reputatur ad justitiam, loquitur de justitia misericordiae propter Christum." Ex praecepto Christi bona opera justificationem sequi debere affirmat C. A. mitius de bonis operibus sentiens ac *Lutherus c)*, „item docent, inquit, quod, cum fide reconciliamur, necessario sequi debent justitia bonorum operum, quae Deus nobis mandavit, sicut et Christus praecepit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata" et *art. 20.* „Quod adversarii criminantur nos, negligi a nobis doctrinam de bonis operibus manifesta calumnia est." Solum discerni vult inter opera bona externa et interna, ea praecipue de causa, quod bona opera interna pios homines distinguant ab hypocritis, a quibus externa bona opera saepius praestantur. Inter opera bona fidem praecipuum esse inquit, quae multas alias virtutes parit. — Quomodo haec opera Deo placeant, cum admodum imperfecta sint, nec exacte legi Dei respondeant, et quo sensu mereantur praemia longo sermone inquit. — Meritum operum, quod prorsus negaverat *Lutherus* ita statuit *d)* „quanquam igitur haec nova obedientia procul abest a perfectione, tamen est justitia et meretur praemia tum corporalia, tum spiritualia, non in hac solum vita, sed et in futura. Habent enim bona opera praemia, tum in hac vita,

tum

c) *art. 6.*

d) *art. 20.*

tum post hanc vitam in vita aeterna. Quia enim in hac vita ecclesia subjecta est cruci et morti corporali, differuntur praemia pleraque ad futuram, quae, etiamsi per misericordiam certo propter Christum contingit his, qui fiducia Christi justificati sunt, tamen etiam est compensatio bonorum operum, juxta illud: merces vestra copiosa est in coelis.”

§. II.

Confessionis apologia.

Alterum locum tenet *confessionis apologia* in comitiis imperii Augustae Vindelicorum ab iisdem imperatori exhibita, qui antea confessionem obtulerant. Unde non pro opere particulari habenda est, sed pro libro, quem protestantes pari reverentia cum libris symbolicis recipiunt. Integra *Melanchtone* auctore confecta fuit, eo fine, ut quae contra C. A. a catholicis objecta fuere, refellerentur. Hinc, quae nondum satis clare in confessione exposita fuerant, iis magis explicandis, aut mitius interpretandis operam dedit praedictus auctor. Praecipue omni in id intendebatur studio, ut doctrinam de justificatione a catholicis depravatam, ut ipsi videbatur, puritati suae restitueret; qua in re quantum laboris sustineat ipsemet testatur in epist. ad *Camerarium* familiarem suum e).

Sensu nonnisi forensi justificationis naturam proposuerat *Lutherus*, quibusdam S. S. locis commotus, licet pluries pro justificatione interna sumatur. Correxerit errorem hunc *Melanchton* dum recte duplicem hunc sensum distinguit: „justificari, inquit, significat

e) L. 4. epist. 110.

cat ex injustis justos effici, seu regenerari; significat et justos pronuntiari, et reputari, utroque enim modo loquitur scriptura” — Tenacissime inhaeret sententiae huic, sola fide justificari homines, iisdem commotus rationibus, quae in C. A. jam adductae fuere. — Ut difficultatem diluat protestantibus ex *Jacobi* effatis motam inquit, *Jacobum* hic non describere modum, quo homines justificantur, sed quales sint, dum jam sunt justificati: „quod autem dicit (*Jacobus*) nos justificari fide et operibus, certe non dicit nos per opera renasci, neque hoc dicit, quod partim Christus sit propitiator, partim opera nostra sint propitiatio, nec describit hic modum justificationis, sed quales sint justii, postquam sint justificati; et justificari hic non significat ex impii justum effici, sed usu forensi justum pronuntiari” — fidem, qua justificamur, admittit cum C. A. fidem specialem supra descriptam, quae licet juxta *Melanchtonem* sola sufficiat, eam tamen solitariam ac mortuam esse debere negat, dummodo operibus nostris nihil meriti concedatur. Unde inquit sibi haud adversari *Jacobum*, qui fidem mortuam damnans, vivam requirit „haec fides, cum sit nova vita, necessario parit novos motus et opera. Ideo *Jacobus* recte negat, nos tali fide justificari, quae est sine operibus” — Opera bona haud negligenda esse docet, potius ea quam maxime commendat, suaeque laude digna esse ait, dummodo non laudentur cum contumelia et contemptu Christi. Opera haec justificationem sequi debere asserit tanquam regenerationis effectum et tanquam gratiarum actionem erga Deum, ut in eis fides et exerceatur et crescat et ostendatur aliis, ut nostra confessione alii invitentur ad pietatem f) „Sicut igitur

f) in resp. ad arg.

igitur poenitentiam per omnem vitam requirimus, ita et bona opera requirimus, etsi opera bona non sint talia, ut pro eis debeat vita aeterna” et pariter *de dilectione et implet: legis* „profitemur igitur, quod necesse sit inchoari in nobis ac subin magis magisque fieri legem. Et complectimur simul utrumque, videlicet spirituales motus et externa bona opera. Falso igitur calumniantur nos adversarii, quod nostri non doceant bona opera, cum ea non solum requirant, sed etiam ostendunt, quomodo fieri possint.” — Hisce operibus quo sensu merces debeat, et quaenam sint praemia, quae iisdem obtinemus, his verbis exponit: „quid igitur de mercede? primum si diceremus vitam aeternam dici mercedem, quia debetur iustificatis propter promissionem, nil absurdi diceremus; sunt enim inter se ordinata haec dona, sicut *Augustinus* ait: dona sua coronat in nobis Deus. Sed scriptura vitam aeternam vocat mercedem, non quia propter opera debeat, sed quia compensat afflictiones et opera, etsi propter aliam causam contingit. Sicut haereditas venit filiofamilias non propter officia sua, et tamen est merces et compensatio officiorum filii. Satis est igitur nomen mercedis hac ratione convenire vitae aeternae, quia vita aeterna compensat bona opera et afflictiones — — — praeterea concedimus opera esse *vere meritoria* non remissionis aut justificationis; non enim placent nisi in iustificatis per fidem, nec sunt digna vita aeterna — — — sed sunt meritoria aliorum praemiorum corporalium et spiritualium, quae redduntur tum in hac vita, tum post hanc vitam.” Licet operibus vita aeterna haud debeat, iisdem tamen beatitudinis gradus nos promereri concedit „cum igitur opera sint quaedam impletio legis, recte dicun-

dicuntur meritoria, recte dicitur eis deberi merces, et haec merces parit gradus praemiorum juxta illud Pauli unusquisque accipiet mercedem juxta suum laborem. Hi gradus sunt merces operum et afflictionum.”

§. III.

Confessio saxonica et wirttembergica.

Confessio illa 1551. Synodo tridentinae oblata fuit et pariter Melanchtonem auctorem habuit, a quo jubente electore Mauricio sub nomine repetitionis confessionis augustanae confecta fuit. Juxta hanc justificari est ex injusto justum fieri, ita, ut a remissione peccatorum haud sejuncta maneat spiritus s. infusio g) „ ejus merito habemus et remissionem et Deus justitiam nobis imputat et propter eum nos justos reputat, et dato spiritu suo sancto nos vivificat et regenerat.”

— Confessionis hujus sensum, dum docet sola fide nos justificari, alium haud esse nisi hunc, ut excluso merito nostro propter sola merita Christi justis reddamur ipsius verba testantur. „ Sola fide justificamur, quod sic intelligimus et declaramus: gratis propter solum mediatorem non propter nostram contritionem seu alia nostra merita donamur remissione peccatorum et reconciliatione. Etsi enim contritio et aliae virtutes multae cum fide simul accendantur; tamen hae virtutes non sunt causa seu meritum remissionis peccatorum” — Consentit eidem *confessio wirttembergica* auctore Brencio 1552. edita, pariter eo fine, ut Conc. Trid. proponeretur, „ credimus et confi-

g) de remiss. Peccat. et justif.

confitemur, quod ad faciendam et exercendam justitiam Deo gratam necessariae hae virtutes, fides, spes et charitas, et quod homo has virtutes non ex se concipere possit, sed accipiat ex favore et gratia Dei, quodque fides operetur per charitatem, sed sentimus a vere apostolica doctrina longissime abhorrere eorum sententiam, qui docent, hominem fieri Deo acceptum, et reputari justum propter has virtutes, ac in judicio Dei meritis harum virtutum confidendum esse." — Hanc fidem, ut justificet, haud otiosam esse debere ita docet *conf. sax.*, non igitur loquimur de otiosa notitia; et errant imperiti, qui existimant hanc remissionem peccatorum contingere otiosis sine aliquo motu animi, sine certamine, et sine sensu consolationis in veris doloribus in ea aetate, quae jam intelligere vocem doctrinae potest." — *Confessio wirttemberg.* supra jam pariter fidem, quae per charitatem operatur, requiri asseruit. — Accendit Spiritus S. inquit *conf. sax.* lucem veritatis in renatis et novos motus in cordibus congruentes cum lege Dei, nec est otiosa voluntas accepto Spiritu sancto, „oportet igitur, pergit, in renatis etiam interiorem obedientiam inchoari, veram Dei agnitionem, timorem Dei, dolores in poenitentia, fiduciam misericordiae propter filium promissae, invocationem, spem, dilectionem, laetitiam in Deo et alias virtutes, et oportet eas referre ad debitum finem scilicet ut Deo praestetur obedientia" — pariter clarissimis verbis exigit bona opera *confess. wirttemberg.* „docemus bona opera divinitus praecepta necessario facienda esse." — Quo sensu vita aeterna merces appellanda sit ita exponit *conf. sax.* „caeterum, etsi vita aeterna datur propter filium, Dei renatis, tamen simul est merces bonorum operum, sicut dicitur merces vestra

vestra copiosa est in coelis" illustrat hoc similitudine filii familias superius jam adducta, cui licet aliunde cedat haereditas, tamen merces laborum appellari potest. — Simili modo sentit et *conf. wirttemberg.*

§. IV.

Systema Chemnitii.

Ad *Chemnitium* nunc pervenio magni inter suos nominis virum, qui, quod confusus tum *Melanchton* tum *Lutherus* docuit, magis in ordinem redegit, atque quid doceant protestantes, quid negent, clarius distinxit *in examine conc. Trident.* ejus systema prolixius exponendum censui, eo quod passim theologj reliqui ad recentiores usque ejus vestigia sequantur. — Disquisitionem orditur ab eo, quaenam sit vis vocabuli *justificare*; qualem ipsi tum S. S. tum patres tribuant significationem. Concedit, quod et in S. S. significatione catholicorum sumatur, quodque et patres hanc admittant. Adductis vero pluribus tum graecis tum latinis auctoribus contendit, neque in lingua graeca, neque in latina hanc significationem fundatam esse. Adducit et plures S. S. textus, in quibus sensu protestantium sumitur, sensu scilicet forensi et judiciali, atque in iis praecipue locis hanc significationem adhiberi ait, in quibus velut ex professo de justificatione sacri scriptores agunt, praefertim ad Rom. VIII., ubi ex antithesi, qua *Paulus* utitur, hanc sententiam confirmare studet. Ipsos adeo apostolos curam gessisse inquit, ne hebraismus verbi *justificare* in aliis linguis minus notus doctrinam vel turbaret, vel obscuraret; unde non raro aliis clarioribus verbis eum **expresserint.**

Juxta

Juxta Chemnitium *justificare* significat aliquem poenis absolvere atque innocentem declarare; *condemnare* poenis alterum dignum censere. Hanc Lutheranorum sententiam S. S. consonam esse affirmat dicens: „Et haec significatio congruit ad reliqua scripturae loca ubi verbum *justificare* usurpatur de actionibus judicialibus et opponitur verbo *condemnare*.” — Cum hac poenarum remissione conjunctam esse hominis renovationem, non negat Chemnitius h). „Certum est, inquit, utrumque esse beneficium filii Dei mediatoris et *remissionem* et *renovationem* in qua Spiritus sanctus in credentibus incendit novas virtutes. Christus enim sua passione meruit nobis non tantum remissionem peccatorum, verum etiam hoc, quod propter ipsius meritum datur nobis Spiritus sanctus, ut renovemur spiritu mentis nostrae. Haec beneficia Dei dicimus quidem esse conjuncta, ita, ut quando reconciliamur, simul etiam detur Spiritus renovationis sed propterea non confundimus illa, sed distinguimus.” — Unde calumniam pontificiorum appellat, quasi haec duo beneficia Dei divellerent protestantes, atque omnia Conc. Trident. decreta de justificatione ita condita esse conqueritur, quasi doceant protestantes, credentes tantum habere remissionem peccatorum, non vero etiam renovari per Spiritum S.

Sinistre intellecta catholicorum doctrina, atque nixus idea communi protestantium, nequid detraheretur meritis Christi et in opera nostra transferatur, sola fide obtineri justificationem asserit. Docere inquit

h) de justificat. pag. 142. edit. Francofurd. ad moenum 1578.

quit catholicos, quod, „qui vult remissionem peccatorum accipere debet, juxta conc Trident sententiam interponere peccata sua et offensam Dei non satisfactionem Christi, sed inhaerentem suam charitatem” In hoc praecipue cardine controversiam verti inquit inter protestantes et catholicos, an scilicet renati propter suam novitatem et opera justificentur coram Deo. Hanc renovationem, licet ingens Dei beneficium esse concedat, meritum tamen hujus nostrae novitatis ad justificationem negat, „sed, inquit, hanc dignitatem et gloriam didicimus ex scriptura non tribuendam esse nostrae novitati, et nostris operibus ut sint justificatio nostra coram Deo ad vitam aeternam; haec enim dignitas et gloria solius filii Dei mediatoris obedientiae seu justitiae per fidem apprehensae debetur”; addens hanc rationem „quia obedientia Christi qua pro nobis legem implevit ad justitiam omni credenti non est manca, mutila et imperfecta. Contumeliosum igitur est in meritum Christi assuere ipsi nostra opera, ut justificemur, quasi Christi obedientia non sufficeret ad justificationem eorum Deo, nisi assumendo nostrae justitiae perficeretur.” — Dari justitiam inhaerentem in nobis admittit quidem, quam antiquiores protestantes tantopere impugnabant; sed ob eam nos justificari, atque eam iudicio Dei opponi posse negat. „Habent quidem, inquit, credentes ex renovatione per Spiritum sanctum etiam inhaerentem justitiam; sed quia illa in hac vita tantum inchoata, imperfecta et propter carnem adhuc immunda est, ideo illa non possumus in iudicio Dei consistere, neque propter illum Deus nos justificat.” — Non solum operibus legis ceremonialis, sed et moralis; non solum operibus non renatorum, sed et iis, quae post acceptum Spiritum S. peraguntur

aguntur meritum haud inesse, atque hoc sensu omnia opera a *Paulo* excludi a justificatione comprobare studet exemplo *Abrahami*, qui fide, non operibus justitiam obtinuisse dicitur, atque id de iis etiam operibus intelligendum esse credit *Chemnitius*, quae fecerat jam renovatus Spiritu mentis suae. Similiter adducit et *Davidem*, qui licet justus fuerit, operibus tamen justificatus non est, et addit: „atque in hanc sententiam patriarchae, *Moses*, et prophetae consentiunt, hoc est, totius V. T. testimonio comprobatur, justitia fidei sine operibus, etiam illorum, qui jam renati sunt.” — Ex N. T. *Pauli* adducit exemplum, qui ipse confitetur se non operibus suis etiam post conversionem peractis justificatum esse, sed sola fide; et *Galatarum*, qui jam aliquot annos conversi fuerant, quos tamen ideo a *Paulo* reprehensos esse inquit, quod crederent se operibus suis justificari posse i). „*Galatae* vero, inquit, non simpliciter abjecerant Christum, sed bona credentium opera fidei volebant adjungi in articulo justificationis coram Deo ad vitam aeternam. Et de operibus quidem ceremonialibus erat disputatio, non autem de solis illis, sed de tota lege et operibus ejus, id quod manifestum est. Nec disputabant *Galatae* de operibus, quae non renati ante fidem fecerant, an illa justificarent; sed de justificatione operum suorum, quae post conversionem et post acceptum Spiritum S. fecerant, disputatio erat.”

Quaenam sit fides justificans dum inquit, multum sane interesse, atque ad conservandam doctrinae puritatem summe necessarium esse inquit, ut rite determinetur tum fidei justificantis objectum, tum modus,

i) de justif. p. 150.

duſ, quo circa illud fides verſari debeat. Recenſitis variis fidei objectis, in quibus mens acquieſcere nequit, principale fidei juſtificantis objectum eſſe ſtatuit promiſſionem de gratuita miſericordia Dei propter filium mediatorem remittentis peccata, adoptantis et acceptantis credentes ad vitam aeternam. Modus vero, quo circa illud fides verſari debeat, inquit, non frigida ſolum cogitatio eſt, aut ſuperficialis et generalis tantum aſſenſio, „ſed ita, ut agnoſcat, intueatur, expetat, quaerat, apprehendat, accipiat, complectatur et ſingulis credentibus applicet in promiſſione Chriſtum cum omnibus ſuis meritis et in Chriſto miſericordiam Dei remittentis peccata.” Huius fidei gradus ſic deſcribit, ut oriatur a notitia, cogitatione et meditatione promiſſionis Dei de beneficio Chriſti mediatoris, de miſericordia Dei, de gratuita reconciliatione; huic notitiae conjuncta eſſe debet aſſenſio, non quidem generalis tantum, ſed qua firma perſuaſione quiſque credens ſtatuat univerſalem promiſſionem ad ſe quoque privatim pertinere, ſe quoque includi et comprehendi in univerſali illa promiſſione. Hanc ſequitur deſiderium, quo ſibi hoc juſtificationis beneficium obtineri vult, et fiducia, qua ſtatuit homo ſe hoc modo vere accipere ea, quae gratuita promiſſio affert.

Meritum bonorum operum ad juſtificationem obtinendam negat *Chemnitius*, cum fide tamen conjunctos eſſe debere bonos animi motus, atque ſic opera juſtificationem praecedere debere ipſemet concedit. „Illam excluſivam ita intelligimus, inquit, 1) ut excludatur conditio meriti ſeu dignitatis noſtrae, 2) ut cauſa reconciliationis adimatur noſtris operibus ſeu virtutibus, et transferatur in ſolam gratiam Dei, propter

propter meritum Christi mediatoris, 3) ut ostendatur medium seu organon applicationis." — Se fidem mortuam, operibus destitutam excludere atque requirere fidem vivam ipsemet testatur *k*). „Nullo modo docemus fidem justificantem esse solitariam, hoc est, talem persuasionem, quae sit sine poenitentia et nulla omnino pariat opera bona, sed fidem quae sine operibus otiosa et mortua est, dicimus non esse veram; et vivam ullam fidem, quae per charitatem efficax est." Monet vero *Chemnitius*, licet opera fidei conjuncta esse debeant, non tamen idem esse operum ac fidei officium; sicut membra corporis ac animae potentiae licet conjuncta sint, diversa tamen praestant officia. — Modum, quo Deus hominem adducit ad justificationem, ita describit *l*) „ante justificationem oportet praecedere contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscientiae agnoscentis iram Dei adversus peccata nostra et dolentis propter peccatum, in qua contritione non retinetur, sed abjicitur propositum perseverandi et pergendi in sceleribus. Ad hos vero terrores necesse est accedere fidem, quae agnitione misericordiae Dei promissae propter filium mediatorem rursus exigat et consoletur animam, ne oppressi desperatione ruamus in aeternum exitium." Porro ait „falsum est quod in canon IX. nobis tribuunt, quasi doceamus nullum plane motum divinitus donatum et excitatum praecedere acceptationem justificationis; omnino enim docemus poenitentiam seu contritionem praecedere, quae sane non potest existere sine magnis, veris et seriis voluntatis motibus; non autem dicimus,

poeni-

k) de fide justif. p. 181.

l) de fide justificant. p. 172.

poenitentiam seu contritionem praecedere tanquam meritum” Unde, inquit, si mens esset Conc. Trid. ut simpliciter vellet monstrare ordinem, quo Deus hominem ad justificationem adducit; et si illa, quae S. S. praecedere docet, tribuerent non viribus liberi arbitrii sed gratiae Dei et operationi Spiritus S., nec in illis praeparationibus constituerent meritum aut dignitatem propterquam justificemur, facile posse de vocabulo praeparationis conveniri.

Offenditur *Chemnitius*, quod doceat Conc. Trident. neminem de justificatione sua obtenta, sed de sua gratia formidare posse. Hanc doctrinam in systemate catholicorum inde provenire ait, quod doceant hominem operibus justificari, de quorum sufficientia ad justificationem cum merito dubitare possimus, necessario consequi, ut anxiae et intranquillae relinquuntur hominum mentes. Protestantium doctrinam prae catholicorum systemate exinde commendat, quod tollatur haec intranquillitas, eo periculosior, quo facilius ad desperationem hominem adigere posset. — Statum controversiae inter catholicos et protestantes hunc figit, ut sermo non sit de fide haereticorum, qui falsas doctrinas cum fide pugnantem defendunt, aut de epicurea persuasionem, pollicente sibi in perseverantia scelerum impunitatem; hos enim merito de justificatione dubitare debere concedit *Chemnitius*; sed, inquit, verus controversiae hujus inter nos et pontificios status hic est: quod ipsi docent, peccatorem, quando in seria poenitentia, vera fide ex verbo Dei per Spiritum sanctum concepta apprehendit promissionem gratuita misericordiae, et in ea simul ipsum mediatorem filium Dei, qui est justitia nostra, nec posse, nec debere certa fiducia statuere, peccata sibi

sibi remitti; posse quidem bene sperare et de Dei misericordia optima optima quaeque sibi polliceri; sed haec tamen sine certa fiducia in medio fluctuantis dubitationis suspensa esse relinquenda, quia fidei possit subesse falsum et spes possit fallere." — Hanc dubitationem S. S. repugnare allatis pluribus textibus probare studet, ac praecipue ex testimoniis S. S. de oblatione credentium per Spiritum S. atque ex emphasi vocabulorum *oblationis*, *pignoris*, *arrhabonis*, quibus utitur *Paulus* in epist. *ad Cor.* et *ad Ephes.* „oblatio enim, inquit, extra omnem controversiam iis adhibetur, quae volumus aliis, ad quae ea pertinent indubitata et quem verissima esse; et quidem in hunc finem adhibetur, ut omnis dubitatio et haesitatio removeatur." — Licet catholicorum doctrinam improbet, aequior tamen est, quam ut certitudinem fidei de justificatione obtenta admitteret; ipse potius fatetur, eam in hac carnis infirmitate minime dari posse, *m)* „postremo, inquit, haec addenda est commonefactio, nos non loqui de idea quadam certitudinis fidei, quae in hac carnis infirmitate nulla prorsus tentetur dubitatione; quae nil sentiat trepidationem: quasi infirma et languida fides, quae non sentit perfectam fiduciam et absolutam certitudinem, judicanda sit nam esse vera fides."

Calumniari protestantes a catholicis conqueritur *Chemnitius*, quasi doceant, nihil praeceptum esse praeter fidem, caetera omnia indifferentia esse; ipsam decalogi doctrinam ad christianos haud pertinere. Ad refutandam hanc calumniam inquit, inculcari praecipue in ecclesiis suis, Deum justificatis et

m) de fide justificanti. p. 191.

et renatis nullo modo dare licentiam, ut libere cupiditatibus suis indulgeant; potius Deum non velle otiosos esse justificatos sine bonis operibus, sed in S. S. iisdem quam maxime commendari bonorum operum studium, atque hanc obedientiam ibidem non suaderi tantum, nec ut rem indifferentem aut arbitrariam proponi; sed tanquam necessariam tradi propter voluntatem et mandatum Dei, ac in violatores poenas statui. Igitur licet bonis operibus haud promereamur peccatorum remissionem, aliae tamen multae et graves causae sunt, inquit, ob quas justificati non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant. Hae autem rationes vel ipsum *Deum* respiciunt, qui vult ut serviamus ipsi in sanctitate et iustitia; partim ipsos *renatos*, quibus S. S. inculcat, ut peccatis mortui non amplius vivant in eis; partim *proximum*, ut officiis nostris sublevetur, bonoque exemplo ad virtutem excitetur.

Haec opera admodum imperfecta esse, atque neminem legi perfecte satisfacere longe sermone docet; atque ex eo dependet, quidquid de merito bonorum operum tradit. Expiationem peccatorum non tribuendam esse nostrorum operum meritis, sed solum Christo mediatori supra jam docuit. Sed cum reconciliatorum opera bona placeant fide propter mediatorem, eadem habere praemia tum spiritualia tum corporalia, tum in hac vita tum post hanc vitam, admittit, idque solum ex *patruita promissione* ac *liberalitate* Dei, qua promisit se praemiis remuneraturum opera renatorum, licet ob adhaerentem carnis infirmitatem imperfecta *n)* „et in hanc sententiam,

n) de bonis operibus pag. 205.

tiam, inquit, nostri a vocabulo meriti non abhorrent." — Improbatur Conc. Trident. doctrinam, quod *vere* mereamur non tantum alia praemia, sed ipsam adeo vitam aeternam; improbat et theologorum quorundam sententias, quod vita aeterna non tam ex liberalitate Dei nobis obveniat, quam *debita* sit operibus nostris; atque modestiores inter pontificios ab aliis reprehendi ait, quod doceant, Deum remunerari opera nostra ex gratuita dignatione clementiae suae. „Quanta vero, inquit, impietas et blasphemia est illam gloriam propitiationis, salutis et vitae aeternae, quae obedientiae et merito Christi debetur, ipsi detrahere et transferre ad nostrorum operum merita, aut certe partiri inter Christi meritum et nostra merita, quasi non esset summum sacrilegium et extrema idololatria gloriam Christi alteri tribuere." — Hoc sensa meritum haud admittit *Chemnitius*. „Etsi igitur, pergit, fatemur, in reconciliatis bona opera habere praemia spiritualia et corporalia, in hac vita et post hanc vitam, tamen non concedimus illud fieri, sicut pontificii dicunt, non secundum gratiam, sed secundum debitum justitiae divinae propter veram rationem meriti, — — — sed ex gratuita dignatione paternae erga filios, quos gratis propter filium adoptavit, clementiae." — Hanc commonefactionem ideo addendam esse inquit, ne renatorum animos superbia occupet pharisaica, aut persuasio propriae dignitatis; sed ut in humili confessione omnem gratiam tribuant misericordiae et bonitati patris coelestis, qui et opera, quae a nobis exigere potuisset, praemiis coronare clementissime decrevit.

§. V.

Animadversiones in haëtenus dicta.

Haec diversa protestantium antiquorum systemata adduxisse sufficiat, ne ad fastidium usque eadem recoquantur sententiae. Apparet ex his non diu inter *Lutheri* aëccles ipsius doctrinam incolumem viguisse, sed passim aliis immutatis aut mitius explicatis saniorum fuisse redditam. — Pro sola peccatorum remissione justificationem accipiebat *Lutherus*; addunt mox regenerationem et sanctificationem confessio *Augustana* et sequentes, — utrumque apertius conjungit *Chemnitius*; utroque sensu tum pro justificatione interna, tum pro externa vocem *justificare* accipi concedunt omnes. — Fidem solam requirebat *Lutherus* ceu justificationis conditionem, non excludens solum operum meritum, sed fidem solitariam statuens, cum qua nulla prorsus opera conjuncta sint — Justificationem praecedere debere poenitentiam et contritionem ajunt confessiones citatae et clariore modo justificationis ordinem exponit *Chemnitius* admittens cum conc. Trid. pios animi motus. — Opera bona damnat *Lutherus*; ea non negligenda esse docet confess. *Augustana* — necessario ea faciendae esse docent confess. *Saxonica* et *Wirtembergica*. — Certitudinem justificationis a *Luthero* depraedicatam retinent quidem communiter confessiones fidei antea citatae; eam vero in hac vita dari negat *Chemnitius*. — De operum bonorum merito ne cogitaverat quidem *Lutherus* — statuunt illud omnes fidei confessiones, sicut et *Melanchton* et *Chemnitius*. Apparebit infra ingentes has controversias tanto cum fervore inter utramque partem agitatae initio nullo

negotio componi potuisse, nisi et ex parte *Lutheri* et adversariorum ejus nimium peccatum fuisset.

Theologia scholastica, inquit *Canus* inde a saeculo XI. invalescens seu potius *Aristotelis* dialectica in theologiam invec̄ta fuit mater plurimarum quaestionum magis curiosarum quam utilium, subinde etiam ridicularum. Hoc si ex una parte haereticis subsidio fuit, ad contuendos suos errores, reliquit ex altera catholicos ad illos depellendos inhabiles et inermes. Sed et tum, cum genuina Christi dogmata a Trident. proposita erant, divina humanis commiscere non cessarunt theologi, magis studiosi suas opiniones quam fidei veritates tueri; quare cavillis haereticorum causam, et reunionis impedimentum non leve posuerunt. — Hac agendi ratione, si unquam alias, certe in doctrina de justificatione a theologis scholasticis non leviter peccatum est. Confundentes enim quas nimis curiosa invenerat theologorum sedulitas quaestiones cum ipsa fidei veritate, *Luthero* ejusque sequacibus ansam dedere, ut cum illis et dogmata rejicerent. Hac ratione odiosam reddiderunt adversariis de bonis operibus doctrinam, haud discernentes utilia a necessariis. Inter alios praesertim monachi toti erant in inculcandis fidei populo peregrinationibus, indulgentiis, atque in depraedicandis hisce operibus, utilibus quidem, non tamen necessariis, tam assidui erant, ut non sine fundamento questus fuisse *Lutherus* censendus sit, opera charitatis a monachis prorsus excludi, retentis aliis minus principalibus. Horum operum necessitatem et meritum ita extollebant, ut hisce sententiis occasio fuerint quaerelarum protestantium, quod doceant catholici excluso Christo tum justificationem tum vitam aeternam obtineri posse. Ita theologorum vitio factum est,

est, ut adversarii doctrinam ecclesiae catholicae involutam scholasticorum opinionibus, et non raro defoedatam aut debite non cognoscerent, aut impugnarent sententias tanquam dogmata ecclesiae catholicae, a quibus haec semper abhorruit.

Peccarunt et ex altera parte Lutherani, quod limites excederent disputationis aestu abrepti, et quidquid de bonis operibus docerent catholici improbantes in alterum extremum delapsi sint, ita, ut si monachi ex parte catholicorum opera ante memorata nimium extollerent, *Lutheri* aeseclae altera ex parte non solum eorum negarent necessitatem, sed et reliqua opera ad salutem adeo noxia esse asserere haud erubescerent. *Lutherus* praeterea, ne adversariis cedere cogereetur, potius absurda quaeque defendere voluisse videtur, quam ut ad eorum doctrinam rediret. Hac ratione, quae partim invidia, partim theologorum vitio exortae sunt lites, eas superbia perpetuas conservavit; donec infensis in se invicem animis ac praejudiciis occupati utriusque partis patroni magis semper a se invicem recederent, cum potius facillime in eandem doctrinam conveniri potuisset, si catholici ecclesiae suae dogmata a theologorum secrevissent sententiis, atque *Lutheri* aeseclae a disputationis aestu rediissent.

Apparet ex haecenus allatis abhorrere potissimum protestantes idea meriti bonorum operum tum in justificatione, tum ad vitam aeternam obtinendam, quod ut excludatur, nec honos Christo debitus in opera nostra transferatur, sola fide nos justificari docent. Eadem de causa negant nos mereri vitam aeternam eamque stricto sensu meritum appellari posse,
ut

ut salva maneat satisfactionis Christi necessitas. — Quod si ostendatur in systemate catholicorum et fidem requiri, et excludi meritum in justificatione; tum concedatur protestantibus non dari meritum relate ad vitam aeternam eo sensu, ut jure stricto eam a Deo exigere possimus, quin necessaria sit liberalis Dei acceptatio; atque si mitius explicent justificationis certitudinem protestantes, apparebit, paucas remanere difficultates, quas ad logomachiam reducere licebit; apparebit, quam vere dicat *Bossuet* o) plura hujus doctrinae capita sinistre potius intellecta fuisse, quam ut vera in iis componendis fuerit difficultas.

Quid hac in re praestiterint protestantes recentiores ut clarius pateat, eorum systemata addamus necesse est, ut collatis hisce cum doctrina catholica dijudicare possimus, num adhuc differant protestantes a catholicis in doctrina de justificatione.

S E C T I O III. SYSTEMATA RECENTIORUM.

§. I.

Systema Moshemii.

Initium faciat *Moshemius* a) ipsis protestantibus commendatissimus, qui caeteroquin systematis antiquioris

o) *Histoire des variat. T. I. L. III. nro. 18.* „qu'il y plus de mal entendu, que de veritable difficulte dans cette dispute.”

a) *Elementa theologiae dogmaticae. Norimbergae et Altorf.* 17781. edit. III.

quioris valde tenax, ad catholicorum doctrinam proprius tamen accedit. — Naturam justificationis instar actus judicialis, modo a protestantibus recepto proponit. Vox *justus* inquit, duplicem habet significatum 1) *justus* dicitur homo, qui legi satisfacit. 2) *Justus* nominatur, qui alioquin *sanctus* appellatur. Sanctus autem homo est, qui firmum propositum habet legi obediendi. Ex differentia harum significatio- num repetendum ducit diversum justificationem expli- candi modum. Posteriores admittunt catholici; priorem *Moshemius* et protestantes. Justificatio, inquit *Moshemius*, tum respectu Dei considerari potest, tum Respectu hominis. Respectu Dei, licet proprie simplex et unus sit actus, eam dividi posse ait 1) in imputationem meritorum Christi 2) in absolutionem a culpa et poena 3) in attributionem juris ad gra- tiam et gloriam. — Ex parte hominis has justifica- tionis exigit condiciones „postulat, inquit, Deus, qui participes fieri volunt beneficiorum foederis gra- tiae 1) ut converti se ad Deum sinant, seu ut poe- nitentiam agant 2) ut Jesum Christum fide ample- ctantur, 3) ut per fidem se renoveant et per sancti- moniam bonorum operum interiorum suam mutatio- nem demonstrant.” Initio animadvertit plurimos theologos protestantes nonnisi unam requirere salu- tis conditionem, fidem scilicet in Christum, a quibus ii discedunt, qui plures statuunt condiciones, inter quos numerandus est ipse *Moshemius*; negat tamen hos in re a se invicem discedere, sed solum in modo loquendi. „Solent theologo plurimi, inquit, unam tantum foederis gratiae conditionem assumere, fidem nempe in Jesum Christum. Recte illi dicunt sacram scripturam fidem unum salutis medium commemorare et Jesus Christus ipse dicit unam tantum salutis con- ditionem

ditionem esse, si eum, qui crediderit, salvum pronuntiat. Ab hac dicendi ratione paululum discessimus, ponendo scilicet tres salutis conditiones, conversionem, fidem, renovationem seu sanctimoniam.” — Vocem *conversionis* diverso sensu accipi docet *Moshemius*; strictiore sensu, quo ab eo sumitur, significat mutationes, quae nos aptos reddunt ad remissionem peccatorum obtinendam, quae justificationem praecedunt. Hoc sensu complectitur illuminationem intellectus atque voluntatis motionem. Mutationes, quae per hanc illuminationem et regenerationem in anima hominis producuntur, uno vocabulo juxta *Moshemium*, poenitentia appellantur. Poenitentiae has assignat partes 1) in intellectu notitiam peccati 2) in voluntate contritionem, ex qua oritur terror, pudor, metus, aliique motus.

Altera salutis conditio est fides, quae in S. S. nobis commendatur tanquam unicum salutis impetrandae medium. — Fidem justificantem modo protestantibus consueto admittit fidem specialem, qua quilibet homo credit se quoque a Christo redemptum esse ac jus habere ad vitam aeternam, atque sic merita Christi apprehendit. Hanc acceptationem protestantes ideo necessariam esse autumant, eo quod in omnibus judiciis, dum quis aliena solutione absolvendus est, requiritur acceptatio, quae si deest, absolvendus sub reatu solvendi manet. Hinc cum tanquam actum judiciale justificationem proponant, necesse quoque esse ducunt, ut acquiescamus in satisfactione Christi ejusque meritum acceptemus.

Tertia demum conditio, quam Deus a justificandis exigit, consistit in renovatione seu sanctificatione,

tione, per quam anima nostra Deo et cultui ejus traditur, estque continuata conversio. — Inquirit dein *Moshemius* in quaestionem hanc: an sola fides exclusis operibus justificet. De hac propositione ait: „Duae ecclesia nostra determinationes addit. Primam *Lutherus* addidit: *sola fides* justificat. Alteram determinationem recentiores addiderunt: *fides viva* justificat, prior determinatio opposita est pontificiis: posterior iis, qui credunt per fidem vanam et humanam nos servari posse.” — Hanc determinationem non a *Luthero* in S. S. intrusam esse inquit, ut credunt catholici, sed licet formaliter in ea non inveniatur, quoad sensum tamen in ea contineri. — Altera determinatio, ut testatur *Moshemius*, ideo addita est, ne hac ratione in hominum animis alatur securitas bonorumque operum studium saltem minuat. Unde requirit fidem, quae vim habet operandi „illa fides Deum commovere potest, ut nos propter meritum Christi justificet, quae virtute praedita est et nos mutandi, firmumque propositum producendi bene agendi.” Hanc fidem vivam requiri *Jacobi* testimonio comprobatur, qui fidem sine operibus mortuam appellat in illa ipsa epistola, quam olim tantum cum audacia *Lutherus* ex canone expunxerat,

Longo tempore in ecclesia protestantium quaestio: utrum bona opera in actu justificationis praesentia esse debeant nec ne, in utramque partem disputata fuit, aliis id affirmantibus, negantibus aliis ne operibus influxus tribuatur in actum justificationis. Hanc litem stabilita operis boni notione compositu facilem dicit *Moshemius*. „Omnis controversia, inquit, pendet ex definitione boni operis: actus justificationis momentaneus est. In momento justificationis non posse

posse bona opera externa adesse clarissimum est, et qui secus sentiunt, bonum opus aliter definiunt. Per opus bonum intelligunt interiores animi sanctos motus bonasque ac pias cogitationes. Nemo negat pios motus antecedere justificationem et adesse in actu justificationis. Homo, dum justificatur, sancte cogitat et voluntatem pie commovet. Concedi ergo potest bona opera esse praesentia in actu justificationis; sed illa non juvant ad justificandum.”

De bonorum operum justificationem subsequen-
tium necessitate, inquit *Moshemius*, a reformatione
usque ad nostra tempora disputatum est. Initio qui-
dem inter *Lutherum* et catholicos, cujus duriores
sententias a *Melanchtone* correctas fuisse testatur;
dein et inter ipsos protestantes. *Melanchton* enim
ne offerentur pontificiis scandala, commode, atque
sine ullo veritatis detrimento dici posse arbitrabatur
bona opera ad salutem esse necessaria. Hanc senten-
tiam secuti sunt *Melanchtonis* fautores; contrariam
vero tuebantur *Flacciani*. Hac ratione per CC annos
de operum necessitate lites agitatae esse testatur *Mos-
hemius*, qui adductis pluribus ad opus bonum requi-
sitis, bona opera ad salutem necessaria dici posse ne-
gat. Recentiorum nonnullos, inter quos nominat
Leibnizium in theodicaea ad catholicorum sententiam
transiisse dicit. Hisce praemissis, quid de bonorum
operum necessitate sentiat ita exponit: sensu stricto
inquit, nullo modo dici posse bona opera ad salutem
esse necessaria. Atque licet sententia contraria quod-
ammodo explicari possit ut veritatem non violet, pru-
denti tamen theologo prorsus propter ambiguitatem
ea abstinendum esse, atque potius statuendum cum
ecclesia protestantium bona opera esse quidem neces-
saria,

faria, sed non ut medium ad salutem, sed solum ob necessitatem consequentis et ex necessitate praecepti; quia et vi praecepti divini ad ea obligamur, et quod justificationis et renovationis necessaria sunt sequela. Sunt igitur conditiones tantum sub quibus vita aeterna obtinetur.

Meritum bonorum operum omne negat. „Bona opera nil mereri possunt apud Deum neque de jure, neque ex lege aequitatis.” Haec sententia ex definitione meriti quam statuit ac conditionibus quas requirit, necessario sequitur. Eas huc addere liceat, quod protestantibus hactenus communes fuerint. „Mereri est viribus suis sibi jus ad praemia acquirere, nam qui alienis viribus agit, is sibi non potest jus comparare ad praemia.” *Alter*a conditio est, ut is, qui mereri vult, ad actiones, quas facit, non sit obligatus. *Tertia*, qui mereri vult, is totum legem, non vero partem tantum implere debet. *Quarta* demum conditio: quicumque mereri vult, is utilitatem domino suo afferre debet. — Duras has conditiones si ad meritum requisieris, utique meritum operum omne negandum est. Mitiore sensu vocem meriti sumunt catholici, non ea, ut jus perfectum acquiramus ad praemia et remunerationem; sed ea ratione, ut meritum Dei aequitate et veracitate nitatur.

§. II.

Systema Doederleinii.

Inter protestantes scriptis clarus est *Doederleinius b)*, in cujus doctrinam inquiramus necesse est, atque

b) *Institutio theologi Christiani. Norimbergae et Altorfi 1784. p. posterior.*

atque in quibusnam capitibus antiquiori doctrinae inhaereat, aut in quibus mitiora sequatur, indagandum. — Modo forensi justificationem explicat eamque ad solam poenarum peccati remissionem restringit. Justificationem in S. S. tum pro externa, tum pro interna accipi concedit quidem, usum vero hujus vocis pro externa justificatione frequentiore longe ac certiore esse, praecipue in V. T. libris, ubi fere semper iudex dicitur, qui alterum poenis liberat, atque ut iustum tractat. Haec si ad Deum transferantur, tum hominem iustificare dicendus est, non cum ob innocentiam ipsum absolvit; sed ut innocentem tractat impunemque dimittit. Addit et hanc rationem cur sola poenarum remissione absolvatur iustificatio c), „praeterea, inquit, me arbitro, res ipsa repugnat, quominus culpa eximi possit peccator. Quis ferat in Deo sive errorem sive iniustitiam, ut culpa vacare iudicet eum, qui graviter aberravit et conscium sceleris sui hominem purum a scelere statuatur? Etenim culpa oritur ab actione hominis libera: quasi confecta est, vel sic, ut non commissa sit, vel ut non libere, culpa abest; sin vere commissa, ne Deus quidem reum culpa potest exsolvere.”

De fide loquens communem retinet definitionem, fiduciam scilicet statuens, seu fidem specialem. Fiducia illa ad haec tria redit: 1) ut intelligamus promitti felicitatem insignem a Deo, 2) ut eas ad nos quoque referamus et nobis quoque eas datas esse credamus, 3) ut vim illarum ad sensus pios adducamus. Huic itaque fidei adversatur tum *levitas*, quae haec bene-

c) L. II. P. II. obs. II. p. 328.

beneficia negligit, tum vana *humilitas*, quae se utpote indignam, a fructu benignitatis divinae excludit. Adversus hunc sive contemptum, sive timorem et desperationem munitur animus hac fiducia modo descripta. Hanc primariam et summe necessariam fidei partem censet *Doederleinius*, idque probat ex analogia fidei *Abrahami* cum fide nostra. — Applicationem hanc seu apprehensionem necessariam esse docet, eodem, ac *Moshemius*, fundamento nixus d). „Non potest dari beneficium, inquit, nisi accipiatur, nec obtrudi invito, qui sive per arrogantiam, sive per contemptum liberalia munia respuit et abjicit — — — sed illam violentiam et tyrannidem benignitatis, quae nolentes cogat ad salutem accipiendam, nec fert humana natura libera et a coactione aliena, nec etiam sapientia et sanctitas numinis. Etenim animus, qui aut contemptim judicat de his beneficiis, aut dubitanter de voluntate divina, aut impie de institutis divinis, gravissimam ipsi numini injuriam infert, et vel propter hanc temeritatem indignus, vel per se incapax est fruendis bonis oblati, sed quae accipere recusat.”

Hanc fidem justificam appellat *Doederleinius*, eandem vero ut justificet, non otiosam et mortuam esse debere, sed vivam quae cum conversione morali conjuncta sit. Improbatur antiquorum protestantium doctrinam, qui separantes legem ab evangelio, docebant promissionem esse evangelii, amorem autem, voluntatem Deo obediendi et se Deo consecrandi esse legis. Observat *Doederleinius* licet Apostoli legem ab evangelio

d) l. c. *Obs. II*, p. 522.

no fecernant, eos solum discrimen inter legem Mo-
saicam et disciplinam christianam innuere, non vero
ut dividant leges disciplinae christianae a promissioni-
bus ejusdem e). „Prima cautio, inquit, adversus
eos necessaria est, qui truncatum et mutilum Christum
tenent et cupide promissiones arripiunt solatii plenas,
ut turbas conscientiae componant, leges autem mo-
lestas et carni suae parum gratas ne attingunt quidem.
Aut totus Christus assumendus est, aut nullus. Tu
in promissionibus subsistis; speras peccatorum veniam
ab eo partam; laudas et probas clementissimum Dei
institutum, quo et saluti et tranquillitati tuae con-
sultum fuit; pie satis: at solatiis praevenire tristitiam
et dolorem peccati; medicinam capere, dum in cor-
pus tuum vitiis saevias; a morte Christi justificatio-
nem petere, sed in hujus mortis societatem mortifi-
cato peccato nolle venire, eundemque, cujus favore
et tutela opus est adversus poenas divinas metumque
justum animo, institutis, factis, a se repellere, id
nefas, id absurdum, id impium est.” — Ipse po-
tius inquit f), „quis integram fidem statuatur, quae
non totum Christum, et omnia bona ab eo compa-
rata apprehendit, sed mutilatum nobilissimis parti-
bus? — — — quid denique plura proferamus, ut
cum fiducia sociari contendamus studium ipsi placen-
di, atque virtutis et obedientiae integritatem; cum
ab ipso hoc auctore sanctissimo admoneamur, spem
omnem in Christo positam vanissimam et fallacem,
nisi quis praeceptis ejus morem gerat.” — In con-
firmationem notissimum *Jacobi* locum adducit, atque
subjun-

e) l. II. p. II. §. 322. obs. I.

f) l. c. §. 319. p. 525.

subjungit g) „patet quam absurdum et temerarium sit a fide virtutis studium avellere, vel illam integram et vitalem dicere, ubi solitaria fuerit et otiosa. Hanc doctrinam pietatis commendatricem tantum abest ut *Paulus* convellat, ut potius mira concordia stabiliat.” Atque candide fatetur inclementius *Jacobum* a *Luthero* tractatum esse, tollitque hac ratione apparentem inter *Paulum* et *Jacobum* contradictionem, quod utrumque de fide viva loqui statuatur. „In hac interpretationis facilitate non est opus moleste sedulis theologorum studiis ac subtilitatibus, quae ut componat utrumque apostolum diversas *fidei* et vocabuli *justificare* significationes confingunt; nec desperatione, quae *Jacobi* librum refecat e canone, ne integra *Pauli* doctrina corrumpatur, aut concedatur aliquid romanis operum, nempe externorum et arbitrariorum fautoribus: in quo *Lutherum* peccasse haud diffitemur.”

Notus est protestantium antiquorum metus, quod si cum fide opera jungenda sint, incertam reddi justificationem, honorem Christi debitum in opera nostra transferri; unde tanta cum cautione a fide arcebant opera. — Hoc studium placendi Deo, atque legibus evangelii obediendi optime cum fide sociari posse ostendit *Doederleinius*. „Neque nos, inquit, qui in fide ipsa inesse dicimus voluntatem firmam obediendi et se suaque omnia Deo consecrantem, fidem inter legem et evangelium male dividimus, vel fidem efficimus legis, non evangelii, non Christi sed philosophorum, non gratiae sed naturae — — — nec enim

tollitur fiducia in Christum et promissionis per eum stabilitae certa expectatio, sed commendatur ac servatur: nec obedientia cum fide promissionum confunditur, sed sociatur; nec a bonis operibus salutis spes repetitur.” — Cum fide itaque conjunctam esse debere virtutis studium docet *Doederleinius* atque in locum motuum vitiosorum sensus meliores ac pietatis studia sequi debere probat pluribus S. S. textibus. Hanc mutationem resipiscentiam, conversionem moralem, poenitentiam appellat. Haec conversio duas continet partes, alteram persuasionem de peccati a nobis commissi turpitudine; alteram, affectiones huic persuasioni consentaneas. Cognita scilicet sua interna vitiositate, maxime ea, quam sua culpa contraxit homo sensum doloris atque tristitiae experitur atque averfationis a peccato. Sequitur averfationem peccati consilium illud immutandi tanto firmiter, quanto quis de pravitate quam contraxit et aluit, magis dolet. In locum studii pravi succedit dein virtutis vitaeque purioris initium, atque votum et studium legibus divinis obediendi, aliquamdiu tenue quidem, ita, ut propter imbecillitatem initio subinde aut contraria peccandi consuetudine, aut tentationum vel improvise impetu vel vehementia vincatur, sed tamen integrum esse debet ac constans.

De bonis operibus duplex erat inter protestantes et catholicos controversia, altera de operum necessitate, altera de eorum merito.

De necessitate bonorum operum notum satis est, quanta cum vehementia eadem impugnaverit *Lutherus* et quantas lites haec quaestio: utrum bona opera ad salutem necessaria sint, inter ipsos protestantes excita-

excitaverit, inde maximam partem ortas, quod non satis definirent, notante *Doederleinio*, quid nomine salutis intelligatur. — Nimium *Lutheri* et sociorum fervorem ipsemet improbat, quem quidem justum fuisse ait in impugnandis operibus monachorum; sed addit *h)*, „cum *Pauli* enssem, quo similes errores jugulat in epist. ad *Rom.* et ad *Galal.* acrius stringeret adversus mercatores bonorum operum, vellenteque Christo honorem suum reddere et vindicare, ut sit in rebus humanis, et controversiis magna animorum concitatione gestis, sive rei novitate, sive contradicendi fervore abrepti *Lutherus* maxime sub initia belli sic locutus esse videtur, ut bonorum operum studia et decus elevare potius, quam commendare incautis formulis videretur. Quae res nec invidia caruit et crimine adversariorum, nec etiam abusu plebis maxime, quae bonorum operum vere talium difficultatem reformidaret, et cum apparatu operum monachicorum, christiana quoque abjiceret.”

De eorum necessitate dum agit, plures statuit salutis nostrae partes atque inquirat, num opera bona respectu cujuslibet necessaria dici possint. — Primum felicitatis christianae caput ponitur in justificatione, ad quam licet nulla bonorum operum necessitas eo sensu demonstrari possit, ut per eadem tanquam merita justificemur; tamen inquit, conservandae justificationis nulla sine operibus spes et certitudo intelligitur, atque supra jam ostensum est, fidei adjunctam esse debere voluntatem recte agendi, quam primum facultas oblata fuerit. — Altera felicitatis pars est

h) L. II. P. II. §. 329. p. 568.

in conscientia Dei nobis placati et in animi tranquillitate, quam cum nemo per otium aut desidiam sed actionibus probis consequitur, quis dubitet, inquit, ea ad salutem necessaria dicere? Ultimum denique felicitatis caput est in spe futurae beatitudinis certa et durabili. Haec licet ob Christum nobis obveniat et sit munus gratuitum, tamen, inquit, negandum non est propter opera bona felicitati olim tribuendae magnam accessionem promitti atque juxta modum operum Deus praemia distribuet. Unde et ipse huic suffragatur sententiae, opera bona ad salutem esse necessaria.

De operum merito controversiae, inquit *Doederleinus*, inde maximam partem ortae sunt, quod non definirent theologi significationem vocabuli graeci *μισθου*, quod alii mercedem, vulgata vero meritum vertit, et quod teste *Doederleinio* a scriptoribus graecis tum de mercede usurpatur, quae debetur ob praestita officia, verum etiam de quovis praemio, quod post facta egregia tribuitur. Scriptorum quoque latinorum adfert testimonia, quod mereri saepe sumatur pro accipere, impetrare, consequi. Demum ait: „si vanam distinctionem operis ab irrogenito et regenito patrati, ortam ex *Augustini* disciplina, et obscuris de gratia hypothefibus, omittamus, posset forsitan formula admitti, bona opera mereri salutem ex congruo, h. e. propter aequitatem divinam et convenientiam; dein ex condigno *αξια* factis praemia, i. e. ad modum actionis ejusque praestantiam decerni ac tribui: dummodo et caveatur error et superbia hominis, qui juris opinione postulet salutem, ut mercenarii solent peractis operibus diurnis, et agnoscatur, deberi salutem inenarrabilem et aeternam

non

non propter operas tennes et temporarias, sed propter veritatem divinam, quae non possit non fide sese exsolvere et amplissimas promissiones operibus nostris propositas implere.”

§. III.

Systema Gruneri.

Ad doctrinam catholicam propius adhuc accedit *Grunerus i)*. Sanio-rem sequitur partem in explicanda justificationis notione, ad solam peccatorum non imputationem eandem haud restringens. Justificationis modum ita describit *k)* „homo, qui mentem et consilia coepit in melius mutare, sive qui resipuit, atque ab erroribus et licentia peccandi ad cognitionem veritatis atque ad studium liberale obtemperandi legibus Dei et Christi se convertit, desinit peccator esse, atque incipit esse justus: haec certe ut peccata dominari haud patiatur, ipse potius sponte et toto animo justitiae studeat. Mutatio haec status moralis hominis, qua ex peccatore fit justus, vocatur *justificatio hominis*: ipse autem homo dicitur justificari. Justificatio igitur hominis pendet a conversione illius et poenitentia sive resipiscentia.”

— Interpretationem hanc vocabuli *justificare* confirmari inquit usu loquendi hebraeorum, quibus justus dicitur homo probus, bonus et sanctus, legum divinarum amans et studiosus. Hanc conversionem ac resipiscentiam a remissione peccatorum mente quidem

i) in institutionibus theolog. dogmat. Hallae 1777.

k) §. 256. p. 492.

dem distingui posse concedit *Grunerus*, idque negari non posse planum est; sed utrumque in justificatione ita conjunctum esse, ut nonnisi unum actum constituent, recte observat. „Mutatio, inquit, status moralis hominis in melius, quae est effectus meriti Jesu Christi, re ipsa una est, sed gradibus distinguitur. Procedit ab illuminatione intellectus per evangelium; inde oritur sanctificatio voluntatis: utraque indissolubili nexu junctam sibi habet, quae ab iis solo puncto rationis diversa est, poenitentiam, resipiscentiam, sive conversionem. Hinc justificatio incipit et remissio peccatorum, sequitur sanctificatio hominis justificati. Regeneratio absoluta est ubi homo desit esse peccator et coepit esse justus. Regeneratio igitur, creatio nova, renovatio, conversio, justificatio haecenus synonyma sunt.”

Rejicit et formam judicialem utpote in S. S. non fundatam, qua in explicando justificationis modo mire haecenus delectabantur protestantes, et ex qua mutilatam justificationis notionem, quae in sola peccatorum remissione consisteret, deducebant 1). „Forma, inquit, sive ratio formalis justificationis non potest esse non imputatio peccatorum, etsi sic decreverunt theologi nostri. Nam non imputatio peccatorum arctissime quidem et nexu indissolubili conjuncta cum justificatione est; sed sejunctim tamen a justificatione et tanquam ejus effectus considerari potest.” — De processu judiciali ita ait: „ejus generis processum scriptura sacra ignorat: neque Deus potest peccatorem mortis ac damnationis aeternae

reum

1) §. 259. p. 496.

reum, ante ab accusatione et obligatione ad poenam absolvere, quam ex peccatore, id est, servo peccati justus, sive legum Dei et Christi ex animo studiosus factus est." — Excusat dein theologos statuentes quod justificatio in sola non imputatione peccatorum consistat, atque ab illis, licet ita restringant justificationem, ad obtinendam tamen in iudicio Dei absolutionem fidem in Christum in regeneratione homini convertendo et justificando donatam requiri testatur atque addit „sed, qui fidem habet Christi, peccator non est."

Fidem in Christum ad justificationem necessariam ita definit *m*): „fidem Christi interpretamur statum moralem hominis, qui de iis, quae evangelium de persona et merito Jesu Christi tradit, ad veritatem plane et sic persuasus est, ut persuasio illa fiduciam Christi plenam progignat atque perpetuo alat." Haec fiducia in Christo collocata, fidem toti evangelio praestitam supponit, atque ex firmissimo assensu toti revelationi praestito oriatur necesse est. Cum hac fiducia juxta *Grunevum* conjunctum esse debet studium placendi Deo ac leges divinas adimplendi, unde patet, quod non fidem otiosam et mortuam, sed vivam et operibus efficacem requirat. Solum operum meritum negat, quod pariter catholici strictiore saltem sensu non admittunt. — Justitiam hominis justificati bonis operibus crescere atque augeri docet, unde sano sensu inter justificationem primam et secundam distinguere posse asserit.

Vanam appellat quaestionem num opera bona ad salutem consequendam necessaria sint; *Lutherum* et
qui

m) §. 252. p. 488.

qui eum secuti sunt, quominus omnem confusionem in doctrina de justificatione evitarent, impeditos fuisse ait male intellectis *Pauli* effatis; partim quod non discreverint opera bona quae exigit S. S., ab operibus pontificiorum.

§. IV.

Systema Toellneri.

Consonat *Toellnerus Grunero* in exponenda justificationis doctrina *n*): exponit in disquisitione laudata rationes, ob quas Deus fidem in Christum exigit atque a sententiis antiquorum libero passu recedit. Mutato justificationis conceptu, quo non solum poenarum remissionem includit, sed et sanctificationem complectitur, diversam ab antiquorum protestantium placitis de fidei necessitate doctrinam proponit. — *Lutherus* et antiquiores diversas assignarunt rationes ob quas Deus fidem in Christum ad justificationem requirat; hanc praecipue, quod Deus pro dominio suo justificationis condiciones statuere potuerit, quascunque voluit, quibus non praestitis justificatio nobis obtingere nequit; hanc conditionem statuit fidem in Christum, unde hac ratione fides ad justificationem necessaria est. Recentiores in ipsa imputationis natura fundamentum invenire credebant, cur Deus fidem in Christum exigit, illud scilicet, quod ad imputationem facti alieni ex parte illius, cui imputetur, requiratur consensus; consensum hunc in imputa-

n) D. J. G. Töllners kurze vermischte Aufsätze. 2ten Bandes 2te Sammlung 1770. Wahre Gründe, warum Gott den Glauben in Jesum Christum wil.

imputationem meritorum Christi praestari a nobis ajunt per fidem, atque sic ex natura rei fidei necessitatem se explicasse arbitrabantur. — Stabilita fidei notione, in qua approbat quidem illud ex parte protestantium, quod fidem praecipue in redemptionem ac satisfactionem Christi exigunt; illud vero improbat, si ad solam hanc evangelii partem fidem adnectant. Rejicit protestantium justificationis concipiendae modum desumptum a judiciis humanis o) atque rationem ex imputatione derivatam a recentioribus passim assignatam nihil valere ad fidei necessitatem probandam ita ostendit: ideo enim, inquit, fidem necessariam admittunt protestantes, quod in factum alienum alteri imputandum requiratur consensus; sed qualis ille? num *expressus*, an *interpretativus et tacitus*? — *non expressus*; ipsi enim theologi ad imputationem peccati Adamitici sufficere docent consensum tacitum; contrarium enim, illud scilicet, expressum fuisse posterorum consensum defendi nequit; ergo et talis consensus ad imputationem meritorum Christi sufficere dicendum est. — Accedit et illud, ideo exigunt leges consensum, ne imputatione facti alieni alteri inferatur. Ast consensus in factum alteri proficuum praesumi semper potest. Ex hoc itaque fundamento fidei necessitas minime sequitur.

Alias *Toellnerus* assignat fidei necessitatem asserendi rationes in S. S. fundatas, in quibus inquirendis parum sollicitos fuisse theologos protestantes inquit;
hoc

o) Es gereicht schon der ganzen Vorstellung zu keiner Empfehlung, daß solche vom Verfahren in menschlichen Gerichten hergenommen, und also die göttliche Begründungsordnung nach menschlichen Rechten gebildet wird.

hoc dixisse contenti, quod Deus fidem tanquam justificationis conditionem requirat. Has rationes adeo clare in S. S. proponi ait, ut, nisi metu quodam conservandi systematis impediti fuissent, eadem ipsos latere haud potuissent. — Finis a Deo praestitutus in omni redemptionis oeconomia, inquit *Toellnerus*, non is solum erat, ut praestita satisfactione Christi remitteret nobis peccatorum poenas, sed simul hominis sanctificationem intendit propositis pluribus efficacibus virtutis motivis in redemptionis oeconomia contentis p). Supposito hoc, quod negari nequit et quod probat pluribus S. S. effatis, ultro consequitur nec fidem a Deo alia de causa exigi, quam quod fides, qua motiva bene agendi cognoscimus, ad sanctificandos homines praecipua virtute polleret. Confirmat id itidem S. S. auctoritate, quae, etiam si tam clare hunc fidei finem haud indicaret, ex ipsa tamen redemptionis oeconomia sponte sequeretur fidem a Deo exigi ob suam sanctificandi homines virtutem q).

Ex

p) S. 223. Ich erkenne aus der h. Schrift aufs deutlichste, daß Gott den Glauben (ich betrachte den Glauben in engster Bedeutung in Beziehung auf Christi Mitteramt) aus keinem andern Grunde wil, als weil ohne denselben die vielen Bewegungsgründe zur Heiligung verloren gehen, welche das Erlösungswerk in sich faßt: daß Gott den Glauben aus keinem andern Grunde wil, als weil erst vermittelt desselben das Erlösungswerk zugleich ein Heiligungswerk, oder das in Christo gestiftete Begnadigungsmittel zugleich ein Heiligungsmittel wird.

q) Wie konnte man es denn nun für nöthig finden, Absichten davon zu erdichten, von welchen in der Schrift nirgends

Ex hoc sequentia deducit consecraria 1) ergo non ex mero dominio fidem statuit justificationis conditionem, sed sapientiae suae conformius ita redemptionis oeconomiam instituit, ut simul inde homines motiva desumerent sancte vivendi. 2) Ergo fides non primarium est in justificationis negotio, sed tantum dispositio quaedam, eamque solum exigit propter obedientiam r). 3) Peccari ab iis, qui fidem solum

nirgends eine Spur anzutreffen ist? man zeige mir nur auch eine einzige ähnliche Stelle darüber, daß Gott den Glauben wil, weil derselbe zur Einwilligung in die vertretenden Leiden Jesu Christi nöthig ist. Wie konnte man die deutlichste Erklärung der h. Schrift über den Grund und Endzweck, zu welchem er denselben wil, übersehen, und dagegen auf Ruthmaßungen fallen, welche so wenig genugthuendes enthalten? Gott bereitet die Menschen mit dem Glauben an Jesum Christum zum Wandel in guten Werken: dazu erschafft er sie in Christo Jesu. Es ist entschieden, daß er den Glauben an Jesum Christum wegen seiner heiligenden Kraft in den Menschen wil.

r) S. 243. Aus der angestellten Untersuchung ergiebt sich, daß Gott den Glauben blos um des Gehorsams willen wil: und daher schliesse ich mit Recht, daß er nicht das Hauptwerk in der rechtmässigen Beschaffenheit des Christen, sondern nur von einer vorläufigen Nothwendigkeit und Nützlichkeit zu derselben ist. Ich will mich erklären. Das charakteristische vom Gehorsame des Christen besteht darin, daß er vornemlich um Christi willen gehorsam ist, daß sein Gehorsam eine Folge von aus dem Erlösungswerke und lebendiger Erkenntnis desselben erwachsener Furcht, Liebe und Vertrauen gegen Gott ist; so fern sich nun der Glaube als der Grund, und

des

lum in Christum depraedicant ad excitandam in hominibus fiduciam, quin ad promovendam sanctificationem per fidem attendant, licet fiducia non excludenda sit a fide, dummodo non tanquam fidei primum spectetur. 4) Errare eos theologos, qui minus orthodoxum credunt; si vis fidei justificans a vi ejusdem sanctificante repetatur; haec tam parum systemati protestantium repugnare ostendit *Toellnerus*, ut potius ex communi theologorum fidei justificantis definitione idem dicendum sit s). Exigunt enim
non

der Gehorsam als eine Folge verhält; so fern ist es kein Irrtum, wenn man den Glauben als das wichtigste im Christentum betrachtet. Es ist selbst zu entschuldigen, wenn man dasselbe ganz in Glauben setzt: nachdem doch der Gehorsam von demselben nicht zu trennen ist. Aber wenn man darüber auf den Abweg geräth, den Glauben als die eigentliche Sache zu betrachten, die Gott in dem Menschen wil; so geräth man wirklich auf einen Abweg. Gott wil den Glauben blos wegen seiner heiligenden Kraft.

s) S. 247. Von dem geführten Beweise gewiß kann mich nichts abhalten wider gewisse theologische Subtilitäten zu zeigen, nach welchem man es nicht für orthodox halten dürfte, daß die rechtfertigende Kraft des Glaubens eine Folge von der heiligenden Kraft desselben ist. Mit Recht setzen unsere Gottesgelehrten dem papistischen Irrtum von der Rechtfertigung aus den Werken auch dieses entgegen, daß der Glaube in der Rechtfertigung gar nicht als ein gutes Werk in Betrachtung komme. Aber wenn sie hinzufügten, daß ihm diese Wohlthat auch gar nicht in Absicht auf die mit ihm zusammenhängende Fertigkeit guter Werke von Gott verheissen sei, daß er bei derselben auch nicht als eine Quelle guter Werke in Betrachtung

non fidem solitariam et mortuam, sed vivam, non alio ex fundamento, quam quod sola fides viva sanctificet. Unde non est quod obmoveant protestantes contra sententiam superiorem, quae ex virtute fidei sanctificante justificationem repetit 7). Demum multum peccari ab iis dicit, qui in convertendis hominibus in id solum omne intendunt studium, ut excitent in iis fiduciam in Christum, totam conversionem jam absolutam credentes, si id effecerint. Hanc fiduciam, quam et catholici rejiciunt, ipsemet improbat

trachtung komme, so verloren sie die Wahrheit aus den Augen.

7) S. 248. Wer noch einer geheimen Besorgniß nicht widerstehen kann, daß damit papistische oder socinianische Irrlehren über die Rechtfertigung begünstigt werden dürften, der erwäge noch dieses. Unsere Gottesgelehrten sind darüber einig, daß allein der Glaube (fides sola) aber nicht der Glaube der allein ist (fides solitaria) diese Verheißung habe. Nun begehre ich von ihnen erklärt zu sehen, warum allein der lebendige Glaube dieselbe hat? entweder sie erklären darüber nichts; oder die Antwort ist: weil dieser Glaube allein heiligt. Und so begegnen wir uns bei einerlei Ziele, und wir können wegen der Folgen unbekümmert, einander dabei begegnen. Damit wird in dem Grunde der Rechtfertigung so wenig von Seiten Gottes, als von Seiten des Menschen das geringste verändert. Die Wohlthat Gottes und das Verdienst Christi bleibt immer der Erwerbungsgrund derselben. Es ist völlig einerlei, ob wir lehren, daß Gott aus bloßer Gnade um Christi willen einem busfertigen die Sünden vergiebt, oder daß er diese Wohlthat aus denselben Gründen einem durch den Glauben geheiligten Menschen erzeugt.

probat *Toellnerus*, eam scilicet, quae sine operibus ita merito Christi acquiescit, ut plane otiosa sit, haecque sola fiducia statuendo haud parum peccasse protestantes antiquiores, nemo recentiorum dissitebitur.

Addamus et ea, quae docet *J. W. Schmid* prof. *Jenens.* de difficilioribus his quaestionibus: an sola fides justificet, et quid opera valeant, ad vitam aeternam consequendam. Initio animadvertit diversas inter protestantes theologos justificationis foveri notiones, ita, ut alii eam magis extendant, alii magis restringant. Ipsemet huic sententiae favet, quod in remissione peccatorum homini concessa tantum consistat, sed, inquit, si quis malit felicitatem, qua in hac vita fruimur ex justificatione ad ipsam justificationis notionem trahere, contra eum non valde pugnabo, quod certissime ei juncta est, nec idonea disceptandi causa nobis praebetur.

Haec propositio: sola fides justificat hoc quidem sensu defendi potest, ait *Schmid*, ut excludatur operum meritum, aut dum opera fidei opponuntur; „sed tamen, inquit ulterius, alio quovis respectu illud contendere et virtutem bonasque actiones omnimodo a causis justificationis excludere, nec naturae rei, nec scripturae effatis consonum videtur. Rationem enim non perspicio cur dici non possit, *non sola fides, sed etiam virtus et bona opera sunt conditio remissionis peccatorum consequendae* — — — et si haec dicere licet, non video, cur non aliis verbis etiam dici possit: tam fide in Christum, quam virtute christiana bonisque operibus homo justificatur.” — Hanc sententiam communem theologorum
appel-

appellat, inter quos testes excitat *Seilevum*, *Doe-derleinium* atque *Lessium*. — Ordini salutis in sacris litteris nobis proposito prorsus contrarium esse ostendit, si Deus ad fidem tantum et non ad virtutem nostram respiciat, cum et saepissime virtutem tanquam necessariam justificationis conditionem scriptura proponat, atque sine ea unquam peccata remitti neget. Probat id et *Pauli* et *Jacobi* effatis, ubi adducto exemplo *Abrahami* ostenditur non ex sola fide, sed et operibus justificari hominem. Repugnaret id, inquit *Schmid*, et fini redemptionis Christi, qui non solum is erat, ut fiduciam in eo poneremus, sed ut virtutem promoveret atque ad meliorem frugem reduceret homines. Esset autem non levis consiliorum et actionum Dei inter se repugnantia, si virtutem, quam omnibus modis semper promovit, ita a justificatione excluderet, ut et sine ea peccatorum remissio obtineri posset. — Solvit dein ipsemet argumenta, tum quae ex scriptura antiquiores opponebant, tum alias rationes, quibus evincere studebant sola fide ad justificationem opus esse.

Virtutem bonasque actiones ad vitam aeternam consequendam ita necessarias esse ait, ut sine iis omnis salutis aeternae spes, quam quis concepit, falsa et inanis sit. Ostendit id tum pluribus S. S. locis, tum praecipue ex eo, quod in extremo iudicio secundum opera nostra nos Deus iudicaturus sit, ac pro eorum diversitate ac qualitate aut praemia aut supplicia aeterna decreturus. Hanc sententiam ait porro, et in scriptura fundari, et a theologis receptam esse, qui beatitudinem aeternam praemium atque mercedem vocant, non stricte quidem debitam, sed ex gratia nobis concessam. Unde, inquit, conclu-
dimus,

dimus, virtutem etiam *causam* et *organon* salutis aeternae nuncupandam esse — atque ob ea non solum felicitatis gradus nos mereri, sed et ipsam vitam aeternam defendit.

Ex iis, quas modo attuli, doctrinis protestantium, clarum est, lites omnes, quae olim inter catholicos et protestantes vigeant, sopitas esse; aut si quod inter utramque partem discrimen inter sit, illud ad logomachiam reduci posse. Apparet et illud, toto caelo distare recentiores a systemate *Lutheri*. — Non ad solam poenarum remissionem justificationem amplius restringunt, aut sequi adhuc huic duriori inhaereant sententiae, non re tamen ipsa, sed verbis solum a nobis discrepant. — Non fidem solum, non mortuam ad justificationem sufficere docent, ipsi potius fatentur, ut ex *Schmidio* notavi, salva veritate asseri posse, quod non sola fide sed et operibus justificemur. — Opera bona, quibus antiquiores tam infensos sese ostenderant, necessaria esse unamini consensu docent moderni, nec abhorrent eorum merito ad vitam aeternam. — Argumenta illa, quibus olim catholicorum doctrinam impugnabant antiquiores, moderni in ipsas *Lutheri* sententias convertunt; rigidiora antiquorum placita excusant, aut si fieri possit, ita explicant, ut in illis nihil appareat, quod merito damnent catholici.

Exposita catholicorum doctrina ulterius patebit, quam vanae et iniquae fuerint protestantium quaerelae quod Christum excludant catholici substitutis operibus non raro inutilibus; et quam immerito gloriantur protestantes doctrinam de justificatione in sua ecclesia demum tanta cum perspicuitate propositam fuisse. Potius recte animadvertit *Bossuet*, quidquid

boni

boni in b
clarior ac
vendo am
observat A
nem tande
ris Andab
trec quidq
discrimin
dere et v
feram re
reddatur
ut collato
amplius v

COM
LIC

Conve
justifi
signific
Conver
terra.
statuant

fola p
vatio i
gratiae
et ex i

*) S

boni in hac materia docuerunt Lutherani, melius, clarius ac simplicius docuit ecclesia catholica removendo omnes doctrinas adulterinas; et recte demum observat *Molanus* post sequi saecularem disceptationem tandem deprehendisse utriusque partis oculatiores *Andabatarum* more hactenus pugnatum esse, nec quidquam, quod ipsam rem attinet, superesse discriminis, sed circa modum loquendi omnia recidere et varia terminorum acceptatione contentionis ferram reciprocari. — Quod ut magis perspicuum reddatur breviter exponenda est doctrina catholica, ut collato utroque systemate appareat, non differre amplius utriusque sententiae patronos.

SECTION IV.

COMPARATIO DOCTRINAE CATHOLICAE CUM SYSTEMATE PROTESTANTIUM.

Convenit inter catholicos et protestantes vocem *justificare* in S. S. accipi modo forensi, tumque idem significare, quod justum ac innocentem declarare. Convenit 2) vocem hanc accipi pro justificatione interna. Hoc supposito, quam justificationis notionem statuunt catholici, determinandum est.

Justificatio, inquit Conc. Trident. a) non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; unde homo ex injusto fit justus et ex inimico amicus, ut sit haeres secundum spem vitae

a) Sess. VI. cap. VII.

vitae aeternae. Et can. XI. damnat eorum sententiam, qui docent, homines justificari sola imputatione justitiae Christi, aut sola peccatorum remissione exclusa charitate, quae in cordibus eorum per spiritum s. diffunditur. Differebant igitur catholici et protestantes in eo, quod juxta illos non a sola justitia imputata homines justii denominandi sint, sed et S. S. effatis et naturae rei convenientius duxere, ut qui vere antea peccator fuit, deleta nunc peccati macula atque infuso spiritu s. vere et interne quoque justus reddatur; peccatorum remissionem mente quidem a sanctificatione ac interiore renovatione distingui posse ultro concedentes, utrumque tamen in justificationis actu conjunctum esse docebant; unde improbabant priscis saeculis inauditum justificationis a sanctificatione discrimen. — Hi sola peccatorum remissione justificationem absolvi credebant, justitia Christi tegi peccata atque ob meritorum ejus sufficientiam ac praestantiam hominem ceu innocentem tractari a Deo, licet peccati macula in eo adhucdum resideat. — Recentiores in eo a catholicis non differunt. Alii enim, ut *Grunerus* expressis verbis docent, cum remissione poenarum etiam peccati maculam simul deleri. Alii quidem ut *Doederleinus*, *Lessius* antiquam formulam retinent, sed cum et hi cordis conversionem requirant atque cum remissione poenarum simul etiam spiritum s. infundi doceant, quo interne renoventur, hoc ipso a catholicis non differunt. Non enim ea ratione, ut arbitratur *Doederleinus*, peccati maculam auferri asserunt catholici, ut is, qui actu peccavit, non peccasse censendus sit; sed ita ut oppositis actionibus bonis, qui ex peccato residui erant pravi habitus extinguantur.

Hanc litem: num vere in justificatione deleantur peccata ita componit *Molanus* de reunionem protestantium cum catholicis agens. „Sciendum est, inquit, peccata esse vel *actualia* vel *habitualia*, et in utrisque spectari duo, *materiale* unum, et alterum *formale*. Actualium peccatorum materiale consistit in actu peccandi praeterito, sive in praeterita omissione alicujus actus lege praecepti: actualium peccatorum formale est reatus culpae et poenae, qui ex actu peccandi praeterito, aut omissione actus lege praecepti resultat hominemque peccatorem culpae et poenae coram Deo reum constituit. — Habitualia peccata sunt peccatum originis et habitus vitiosi male agendo contracti, quorum materiale est ipsa habitualis propensio in malum; formale, ut supra est reatus culpa et poenae ex eo resultans. Quaestio igitur an vere tollantur peccata per justificationem intelligitur vel de formali peccatorum vel de materiali. Si de materiali intelligatur quaestio, protestantes ejus partem negativam amplectuntur, et quidem quod attinet peccata actualia clarum est illorum materiale non tolli per justificationem; consistit enim, uti dicitur, in actu peccandi praeterito, vel in praeterita omissione actus lege praecepti, in quo duo spectanda veniunt: unum ipse actus contra legem admissus vel omissus: alterum respectus ejus ad peccantem, quo eum peccasse denominat. Si igitur peccata actualia per justificationem tolluntur, vel tollitur ipse actus peccandi praeteritus, vel tollitur respectus ejus ad peccantem, ita, ut qui peccavit, peccasse amplius non dicatur. Sed neutrum dici potest; non prius, quia actus peccandi praeteritus, hoc ipso quod praeteritus sit, esse desit, ac proinde nullum amplius, habet, esse reale, quod per justificationem

tolli queat. Omissio autem actus praeteriti non est ens positivum, sed negatio, cujus cum esse reale nulum sit, nec per justificationem tolli poterit. Sed et posterius dici nequit, si enim respectus ille actus peccandi ad peccatorem tolleretur per justificationem, fieret per eam, ut, qui peccavit, non peccaverit, atque hic factum redderetur infectum: qui v. g. scortatus sit, non scortatus fuerit, quae manifesta est contradictio. — Quod ad peccatum habituale attinet, materiale ejus, habitualis scilicet propensio ad malum, frangitur quidem, crucifigitur, mortificatur quidem et subigitur in homine justificato, ita ut in ejus mortali corpore peccatum amplius dominari non possit; interim in hac mortali vita penitus non tollitur, non extirpatur, sed manet quadantenus post justificationem; quo pertinet quod sanctus *Paulus* quamlibet justificatus tantopere conqueratur de peccato in se habitante.” Si de formali peccati seu de reatu culpae et poenae sermo est, inquit ulterius, tum sensus hic est: an in justificatione reatus culpae et poenae a justificato tollatur, sive an coram Deo amplius reus non sit, atque hoc affirmare protestantes cum catholicis testatur *Molanus* quantum ad peccata tum actualia tum habitualia; atque si nonnulli theologorum protestantium peccatum in justificatione non tolli doceant, id illos solum intelligere inquit de peccato originis, quod licet quoad formale tollatur, quoad materiale tamen, quoad habitualement in malum propensionem absque dominio tamen remanet. — Haec cum et catholici teneant, apparet, nullam hac in quaestione remanere controversiam.

Quaenam sit fides justificans, in eo a *Luthero* et antiquioribus discrepabant catholici. Calumniabantur illi ecclesiam nostram, quod solum notitiam historicam

de Christo ad justificationem requirat, excludens fiduciam, qua fidem justificam a fide daemonum discerni volebant protestantes. Hanc fiduciam in merita Christi ac misericordiam Dei ita incauti a fide generali separabant protestantes, ut exclusis reliquis veritatibus revelatis, hanc solum justificare docerent. Damnat hanc doctrinam conc. Trident. *Seff. VI. can. XII.* Eam pariter emendarunt protestantes recentiores, qui praeter hanc fidem specialem, quam utique maximi in justificatione momenti esse docent, supponunt fidem generalem, assensum scilicet integrae revelationi praestitum. Ab hac fiducia cur olim abhorruerint theologi catholici non apparet, cum ex fide generali, ex assensu omnibus revelationis veritatibus praestito, ex cognitione benignitatis divinae voluntatis ac potentiae, qua beneficia promissa Deus conferre potest, et ob merita Christi conferre decrevit, necessario fiducia oriatur. Cum ergo non negent protestantes fidem consistere in assensu revelationi praestito, necesse non est cum theologis antiquis contra ipsos probare, fidem, quatenus est assensus toti revelationi praestitus, justificationem praecedere debere debere, eo quod et ipsi protestantes hoc fatentur. — Dein necesse non est negare fidem aliquando accipi in S. S. pro fiducia, tum, quia id negari nequit, tum quia ipsi fatemur, quod et fiducia in Deo per Christum sit maxime necessaria justificationis obtinendae conditio. Exigit hoc claris verbis conc. Trident. *b)* dum vult ut credant justificandi vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt, atque *illud inprimis* a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quae est in Christo Jesu, atque dum peccato-

b) Seff. VI. cap. 6.

res se esse intelligentes in spem erigantur *fidentes* Deum sibi propter Christum propitium fore.

Consentiunt pariter nobiscum protestantes circa quaestionem an sola fides justificet. „Notum est, inquit *Molanus*, quantas in ecclesia tragoedias excitaverit *Lutheri* nostri in scripturas sacras *illata propositio: sola fides justificat*, cum tamen illa nec propria sit, atque adeo res ipsa doceri potuisset phrasibus aliis ex scriptura petitis et in ecclesiis nostris receptis.”

— Docet conc. Trident. cum fide saltem pios animi motus justificationem praecedere debere, omnemque praeparationis modum ita describit: „disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati gratia divina et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt — — — et dum peccatores se esse intelligentes, divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata.” — et canone IX. damnat eorum doctrinam, qui docent, ita sola fide justificari impium, ut intelligant nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necessum esse justificandum suae voluntatis motu praeparari atque disponi. — Has protestantes antiquiores tenebant sententias, nimis cauti, nequid meritis

ritis Christi detraheretur ; opera potius a fide excluderent, quae si adderent, haud dici posse arbitrabantur, nos gratis propter merita Christi justificari. Quam inique ecclesiae nostrae hanc tribuant doctrinam, quasi absque merito Christi nos justificari docerent catholici, ipsa conc. Trident. verba testantur. Non negat Tridentinum imputari nobis merita Christi, aut ea imputatione opus esse ad nos justificandos, ut crediderunt antiquiores Lutherani; neque ullum meritum tribuit operibus justificationem antecedentibus, sed docet gratis nos justificari, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur; si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Ac propterea, pergit eadem synodus, necessarium est credere neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, *nisi gratis divina misericordia propter Christum.* — Harum quaerelarum falsitate cognita, partim *Jacobi* auctoritatem venerantes mitigarunt recentiores doctrinam hanc, pariter cum catholicis rejicientes fidem mortuam, quae conjunctum non habeat studium placendi Deo legesque Dei et Christi data occasione adimplendi; cumque aliud non requirant catholici, et in hoc capite convenit inter nos et protestantes.

De necessitate bonorum operum justificationem subsequentium docet conc. Trident. c) „neminem sibi in sola fide blandiri debere, putans in se sola fide haeredem esse constitutum, haereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur.” Nemo, inquit pariter, quamvis justificatus, liberum se esse ab obser-

vatione

c) Sess. VI. can. IX.

vatione mandatorum Dei putare debet; potius exhortatur eos, ut per observationem mandatorum Dei in iustitia per Christum accepta confirmentur et crescant.

In hac doctrina non solum a catholicis diffidebant protestantes, sed et ipsi inter se divisi erant. Alii enim, quos laxiorum nomine compellabant, opera ad salutem necessaria esse docebant; alii vero rigidiores, verentes, ne nimium tribueretur operibus, aut eorum necessitatem prorsus inficiabantur, aut solum ratione praesentiae eadem necessaria esse iasserunt. — Consentunt modo inter se recentiores, nec a catholicis amplius discordant uno ore confitentes opera bona esse necessaria, ita ut vana atque inani spe deciperetur, qui neglectis bonis operibus vitam aeternam se consequi posse crederet. Contrariam sententiam ita improbat *Schmid d)*, ut eam ordini salutis prorsus adversari dicat, nec recentiorum ququam amplius dubitat huic suffragari sententiae. Consentunt itaque concilio Trident. damnanti eorum sententiam, qui docent justificatum non teneri ad observanda mandata Dei, sed solum ad credendum; aut qui docent nihil praeter fidem praeceptum esse in evangelio, reliqua omnia libera esse.

Cum hac quaestione connexa est altera de operum merito, in qua explicanda ipsi doctores catholici diversimode sentiunt, in qua quid fide tenendum sit, quid vero ad eam non pertineat discernendum est. Docet conc. Trident. *e)* „bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponendam esse vitam

aeter-

d) *Dissert. cit.*

e) *Sess. VI. cap. 16.*

aeternam et *tanquam gratiam* filiis Dei per Christum Jesum fideliter promissam, et *tanquam mercedem* bonis ipsorum operibus fideliter reddendam.” Haec opera inde dignitatem suam derivant „quod cum Jesus Christus tanquam caput in membra, et tanquam vites in palmites in ipsos justificatos virtutem suam jugiter influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possunt; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum sit, quominus plene illis operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro hujus vitae statu satisfecisse et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia discesserint, consequendam vere promeruisse censeantur.” Monet autem Tridentinum, licet bonis operibus in S. S. usque adeo tribuatur, tamen non confidendum esse homini christiano in se ipso atque in suis operibus gloriandum, et non in domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae ipsius sunt dona.

Hoc supposito, quidnam fide catholica tenendum est? 1) inquit *Verron f)* de fide non est, an meritum illud sit tantum *de congruo*, an *de condigno*, 2) an sint meritoriae *ratione pacti tantum* et liberae acceptationis divinae, an ob *internam dignitatem*; potius hoc sensu opera iustorum meritoria esse negant *Scotistae* et alii cum ipsis sentientes, ut animadvertunt *Fr. Wallenburgici g)*; unde haec quaestio salva fide in scholis disputari potest. 3) Nec de fide est an mercedem Deus tribuat *ex justitia*, an potius

f) *regula fidei cath.*

g) *de meritis operum cap. 19. nro. 4.*

potius ex fidelitate, qua stat liberali promissione. 4) Nec de fide est, quod omnia opera justorum sint meritoria. 5) Nec de fide est, quod bona opera mereantur vitam aeternam secundum substantiam; haec enim quaestio notantibus Wallenburgicis h) et inter ipsos doctores nostros controversa est. — Solum itaque de fide est, quod augmentum quoddam gloriae mereri possimus, licet certa videatur sententia quod ipsam vitam aeternam mereamur; et addit *Verron*, si protestantes fateantur quod bona opera sint Deo grata eaque obtineant vitam aeternam et quidem ex bonitate, gratia et misericordia Dei, meritum sensu catholico admittunt. Haec si a theologorum sententiis debite secreveris, ultro apparet, quam sinistre protestantes antiquiores intellexerint doctrinam catholicam, et quam injuste invehantur in eam, quod aleret hominum superbiam ac meritum Christi superfluum reddat. Hac de causa saltem antiquiores negarunt operum meritum relate ad vitam aeternam. Abhorrebant praeterea summopere a merito condigno, quod catholici defendebant, quod si diceretur, credebant protestantes vitam aeternam donum amplius appellari non posse.

Has quaestiones: utrum de condigno, an de congruo mereamur vitam aeternam, licet scholasticae sint, et licet monente *Bossueto* tacendae essent, ut evitentur ambigua et aliquos offensura vocabula; eas tamen referre liceat, tum quod tot disputationum causae fuerint, tum ut ostendatur, immerito olim protestantes hanc sententiam respuisse atque modernos
sensu

h) l. c. nro. 3.

sensu catholico meritum condignum admittere. Duplex inter catholicos obtinet sententia altera *Scoti*, *Vasquezii* altera, ex eo diversae, quod diversa ratione meriti condignitatem statuunt. Alii eam repetunt ex solo opere, quin Dei acceptatione indigeat; alii partim ex praestantia operis, partim ex liberali Dei acceptatione. Illam tenet *Vasquezius*; hanc *Scotus*. Ex hujus sententia opera renatorum ex se et sua intrinseca ratione non sunt meritoria, sed quod meritoria sint, id totum habent ex acceptatione divina, sive ordinatione eorum ad praemium; illam Dei acceptationem principalem rationem meriti statuit, tanquam ultimum ejus complementum; concursus vero gratiae et libertatem esse condiciones necessario requisitas, et sic actum dici meritorium, quia adjuvante gratia producitur et pacto divino acceptatur ad praemium. Non tamen *Scotistae* operis dignitatem prorsus excludunt.

Vasquezii sententia haec tria, ut notant *F. Wallenburg*, complectitur. 1) Valorem et dignitatem vitae aeternae absque ullo pacto et favore operibus justorum adscribendam esse, hoc ipso, quod in statu justitiae per auxilium gratiae moventis facta sint. 2) Operibus justorum nullam accessionem dignitatis provenire ex merito ac persona Christi, quod alias eadem non haberent ex eadem gratia a solo Deo liberaliter collocata. 3) Quamvis operibus justorum divina promissio accesserit, eam tamen aut ullum aliud pactum aut favorem ad rationem ipsam meriti nullo modo pertinere. Mitiores *Scoti* sententiam communiter sequuntur catholici atque monent *F. Wallenburgici* i) „ita oportet et sobrie et religiose
nostros

i) de meritis cap. 10. nro. 6.

nostros temperare sermones, ut dicentes Deum debere justis beatitudinem, judicemus hoc non esse ex dignitate operum, quae faciunt ipsi, sed ex misericordia Dei et benignitate nimia, qui non contentus dare beatitudinem, sed etiam ad eam nobis dandam se adstrinxit, ut ea ratione magis nos exaltaret ac suam in nos benignitatem apertius commendaret, certioresque nos de ipsa redderet et potentius inflecteret ad eam promerendam. Hisce enim de causis et ut misericordia ejus et veritas sive justitia non tantum in hac vita, sed et in termino splendesceret, meritoria nostra opera facit esse beatitudinis ex condigno.” — Pariter inquit *Bossuet* „an forte existimant (protestantes) bona opera a nobis sic haberi vitae aeternae meritoria, ut promissione nulla egeamus, condonatione nulla, nulla denique gratia? Quomodo autem putemus nos non indigere gratia, cum et ipsa merita dari per gratiam ac dona Dei esse synodus Trident. contestetur.” — Eadem ratione meritum statuit *Alphonsus a Castro k)*, „si *Lutherus* accipit meritum pro tali opere, quod ex sua natura et ex se ipso aequale est praemio, certe illius sententia non est de errore notanda: quoniam non est aliquod opus nostrum ex se tale, quod aequari possit gloriae aeternae. Nam apostolus ait, non esse condignas passiones hujus saeculi ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Verum non semper sic capitur meritum, ut talem aequalitatem et obligationem naturalem innuat; sed aliam aequalitatem, quae non consurgit ex natura rerum, sed ex pacto quodam inuito aequale erit opus, quod antea non diceretur aequale:

k) apud *Wallenburg. de merit. cap. 19. nro. 5.*

aequale: et debitum diceretur, quod alias non diceretur." Illustrat hoc exemplo quodam atque pergit: „etsi opera nostra ex se sint indigna gloriae, et nos per illa nullum jus habere poteramus ad gloriam aeternam, nec gloria unquam fuisset nobis debita, tamen quia misericors Deus promisit servanti mandata sua se daturum illi vitam aeternam, post talem promissionem debet Deus dare gloriam servanti sua mandata; quod debitum in Deo non oritur *ex nostris operibus*, sed *ex benigna ejus voluntate*, qui promittens se ipsum obligare voluit. Et juxta hunc modum intelligendo rationem meriti, constat, nos nil derogare majestati divinae, cum dicimus opera nostra esse meritoria vitae aeternae; quia hoc modo non dicimus Deum obligari aut esse debitorem nostris operibus; sed dicimus eum obligari ex promissione sua et esse debitorem promissionis suae. Quod autem ipse promiserit simpliciter et absolute tribuendum est gratiae."

Ex hoc apparet, non nimium extolli operum merita eaque non laudari cum contumelia Christi, atque minime statui illud meritum, quod tum antiquiores tum recentiores merito improbant, illud scilicet, quod jure stricto vitam aeternam tanquam operum mercedem postulare possimus; sed, ut animadvertunt *Wallenburg.*, non tribuimus Deo talem obligationem, dandi gloriam in remunerationem, bonorum operum, quia ipse compensare debet *ex justitia* nostra opera; sed dicimus *ex sola promissione* ac proinde *ex sola fidelitate* eum debere dare vitam aeternam in remunerationem. Quare si eam non daret, esset quidem infidelis, quia non servaret promissa, non tamen *injustus proprie*, quia non ageret
 proprie

proprie contra justitiam. Contra hanc meriti ideam non est quod objiciant protestantes; ipsi enim admittunt opera bona renatorum placere Deo propter fidem, propter Christum mediatorem, atque licet ex se digna non sint praemiis, Deum tamen eadem remunerari ob promissionis fidelitatem. Hanc meritum operum explicandi rationem ipsis protestantibus probari, testis nobis est *Molanus* ad *Bossuetum* scribens, qui hoc sensu ab iis meritum admitti fatetur. Recentiores pariter meritum hoc non improbant, inter quos unum *Doederleinius* nominasse sufficiat, qui retentis adeo terminis scholae *de congruo* et *de condigno*, docet, nos mereri vitam aeternam, dummodo caveatur superbia, qua tanquam jus illam exigamus. — Utrinque itaque docetur bona opera justorum Deo grata esse et suam habere dignitatem, sive ex gratia a qua procedunt, sive ex acceptatione divina. Utrinque docetur bonis operibus esse tribuendam vitam aeternam tanquam mercedem, idque ex liberali promissione divina, Deumque fidelem in servandis promissis eandem reddituram in se sperantibus. Utrinque conceditur Deum non proprie esse injustum, si praemia non retribuatur. — Disparet itaque omnis cum protestantibus controversia.

Restat ut inquiratur, num merito quid objecerint catholicis protestantes in doctrina de justificationis certitudine et an in hoc capite adhucdum dissideant. — De certitudine hac ait conc. Trident. l)
 „nemini fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti et in ea sola quiescenti dimitti peccata

l) Sess. VI. cap. 9.

peccata vel
 neque illud a
 justificati sunt
 semetipsum
 qui hoc non
 et resurrectio
 nemo pius
 deque sacra
 debet, sic
 firmitatem
 formidare
 certitudin
 gratiam
 rabatur
 singular
 tione
 dent, f
 titudine
 a certit
 tate, et
 sed etia
 divina
 Quater
 ne, or
 solute
 propri
 dit for
 vis
 Unde
 et met
 docent
 posse,
 miseric
 et cert

peccata vel dimissa esse dicendum est — — — — fed
 neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere
 justificati sunt absque ulla omnino dubitatione apud
 semetipsos statuere se esse justificatos — — — quasi
 qui hoc non credit, de Dei promissis deque mortis
 et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut
 nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito
 deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare
 debet, sic quilibet se ipsum suamque propriam in-
 firmitatem et indispositionem respiciens, de sua gratia
 formidare et timere potest; cum nullus scire valeat
certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, se
gratiam Dei esse consecutum.” Hac ratione mode-
 rabatur conc. Trident. Lutheranorum doctrinam
 singularem, quemlibet certitudine fidei de justifica-
 tione sua certum esse. Non improbat conc. Tri-
 dent. fiduciam prudentem, sed solum absolutam cer-
 titudinem. Distinguunt catholici certitudinem fidei
 a certitudine fiduciae, illa nititur sola Dei auctori-
 tate, et excludit non tantum omnem dubitationem,
 sed etiam timorem de opposito; haec vero nititur
 divina promissione, partim propria dispositione.
 Quatenus certitudo fiduciae nititur divina promissio-
 ne, omnem similiter formidinem excludit et est ab-
 solute et simpliciter certitudo. Quatenus autem
 propriam respicit dispositionem non omnem exclu-
 dit formidinem, nec est omnimoda certitudo, quam-
 vis sufficiat ad gignendam piam tranquillitatem.
 Unde non volunt catholici conscientiam inter spem
 et metum per intervalla huc illucque alternare; sed
 docent hominem de sua gratia formidare et timore
 posse, ita tamen, ut spe certa divinae imitatur
 misericordiae, cum nihil impediat, hominem simul
 et certa spe consolari et propriam indispositionem

respiciendo formidare. Sed, ajunt *F. Wallenburgici m)* ille timor securitatem tollit quidem, haesitationem vero non inducit: formido illa torporem quidem ejicit, dubitationem vero non adfert. Est enim timor sollicitudinem generans, anxietatem non generans: est formido sedulitatem commendans, trepidationem non commendans. — Catholici itaque de promissionibus divinis minime dubitant; sed quae adest incertitudo, ex parte nostri oritur, ex eo scilicet, quod de dispositione sua haud scimus certi. — Molanus, caeterum aequus inter protestantes, putat, non negaturos hanc certitudinem catholicos, dummodo quaestiones debito modo proponantur, eas autem hac ratione proponit: „extra controversiam utrinque est nos justificari per fidem, qui igitur credit, et scit se credere, hic potest absolute certus esse de sua fide, et consequenter de sua salute. Interim nemo nostrum docet, hominem de perseverantia et de salute sua tam certum esse posse, quam de justificatione; de hac enim certi sumus absolute, de perseverantia autem et salute duntaxat conditionaliter.” Mitius sentire de hac certitudine *Chemnitium*, supra jam adnotavi, qui aperte negat doceri in ecclesia protestantium *certitudinem fidei*, atque loco hujus certitudinem fiduciae substituit. Hanc si admittant protestantes, nulla amplius restat controversia. Si de fiducia tantum ageretur, inquit *Belarminus*, non opus esset longa disputatione; neque enim catholici negant certam fiduciam in Deo collocandam esse et certo confidendum post actam legitimam poenitentiam remissa esse peccata. Merito

m) de *justif.* cap. 84. nro. 71.

rito prin
teatur ad
te Dei cert
sunt catholici
perire ac p
ere videam
scultibus
catholicis c
triusque p
disputation
voluissent.

Pag.
27.
31.
41.
44.
55.

rito proin postulat *Bossuet* a protestantibus ut fateantur *absque absoluta certitudine* veram et ex parte Dei certam nobis inesse fiduciam, qua contenti sunt catholici, neque ulterius tendendum esse ne superbire ac praesumere potius quam confidere ac sperare videamur. — Hac ratione sublatis omnibus difficultatibus idem prorsus sentire protestantes cum catholicis clare patet, ad quam concordiam jam olim utriusque partis patrōni redire potuissent, si reposito disputationis aestu, protestantes veritati acquiescere voluissent.

ERRATA NOTABILIORA.

| <i>Pag.</i> | <i>Lin.</i> | | |
|-------------|-------------|-------------|--------------------|
| 27. | 3. | <i>adde</i> | <i>inter</i> |
| 31. | 11. | <i>adde</i> | <i>certum esse</i> |
| 41. | 30. | <i>adde</i> | <i>notione</i> |
| 44. | 21. | <i>lege</i> | <i>quae si</i> |
| 55. | 22. | <i>adde</i> | <i>injuria.</i> |

The main content of this page is extremely faint and illegible. It appears to be a list or index of items, possibly related to the table below.

ERRATA NOTABILIORA

| | Inte | Pro | Page |
|--|------|-----|------|
| | 2. | 3. | 27 |
| | 11. | 11. | 31 |
| | 20. | 20. | 41 |
| | 21. | 21. | 44 |
| | 22. | 22. | 57 |

VNI
 C
 re
 vfu, aet
 ris offici
 ligio dat
 natural
 ralter
 in non
 gatiu
 4) I
 latas
 racter
 iis pu
 tiner
 co et
 est,
 partic
 eaque
 berii
 fivoit
 Apot
 gent
 Eius
 dum
 homi
 c. X
 filia

THESES SELECTAE
EX
VNIVERSA THEOLOGIA.

§. I.

Reuelationis criteria et principia.

I. Creauit Deus hominem, vt se bono libertatis vfu, aeternum felicem redderet, vnde triplicis generis officia homini incumbunt, adeoque euidenter religio datur. 2) Diuiditur haec in naturalem et supernaturalem, quae possibilis, summe vtilis, imo moraliter necessaria est. 3) Characteres vero, quibus in notitiam factae religionis certo venimus, sunt negatiui et positiui, hique vel interni vel externi. 4) Inter religiones quatuor, quae se in terra reuelatas testantur, Paganismus et Muhametanismus characteribus negatiuis prostrati corruunt, neque pro iis pugnant positiui. 5) Religio Iudaica, quae continetur in Pentateucho, omnino genuino, authentico et veraci, characteribus verae reuelationis insignita est, adeoque diuina dici debet. 6) Haec tamen quia particularis fuit, abroganda erat, succedente lege n. eaque vniuersali. 7) Exstitit tempore Augusti et Tiberii Iesus Nazaraenus, qui nouam religionem instituit, quam vna cum praecipuis factis Christi et Apostolorum, in libris n. T. qui pariter veraces, genuini ac authentici sunt, scriptam retinemus. 8) Eius auctor missionem suam miraculis confirmauit, dum praeter alia prodigia, quinque panibus 5000 homines Matth. XIV. et deinde 4000 saturauit c. XV., resuscitauit filium viduae Naim Luc. VII., filiam Iairi Marc. V. Lazarum Ioan. XI., atque ipse

a mortuis surrexit. 9) Facta haec praeter rationes generales veritatis, adhuc speciales notas certitudinis praefereunt, ex testimonio quamvis semel lapsi Petri, Iudae Ischariot proditoris, Pauli ecclesiam persequentis aliorumque religionis christianaе hostium, martyrum plurimorum ex primis seculis, ut adeoque sint historice certa. 10) Miracula haec quoque hermeneutice atque philosophice vera, in confirmationem religionis a Christo peracta sunt.

§. II.

Scriptura.

1) Religionis nostrae systema praecipue in libris, quos diuinos appellamus, continetur. 2) Hi libri sunt iidem, quos Con. Trid. Sess. IV. Canoni adnumeravit, 3) hinc tam proto quam deuterocanonici, tamquam diuini a quolibet Catholico admittendi sunt. 4) Vulgata a Trid. iure authentica declarata est, quoad dogmata fidei et morum, licet non omnibus caruerit mendis. 5) Tridentinum hac sua declaratione fontium auctoritati ac valori nihil detraxit. 6) Textus Heb. malitia Iudaeorum vniuersim deprauatus haud fuit — neque incuria librariorum tot naeuos contraxit, ut amiserit suam auctoritatem. 7) Linguae Heb. notia plurimum adiuuat exegesis sacram, se sola tamen non sufficit ad Scripturae sensum passim eruendum. 8) Linguis aliis Orientalibus, quas nonnulli linguae Heb. dialectos vocant, huius studium maxime adiuuatur, potissimum id praestat lingua Arabica. 9) Quamuis Aristoteli liber de origine versionis graecae, ex regulis criticis merito suppositius videatur, nihilominus eadem ad postulata regis Ptolomaei Philadelphii a Iudaeis Solymitanis, concinnata videtur. 10) A 70 interpretibus non nisi Pentateuchum habemus.

mus.

mus. 11) Versionis LXX. summa fuit olim auctoritas, atque eadem hodie adhuc sua gaudet authenticia. 12) Scripturam nequidem in necessariis evidenter omnibus claram esse, experientia iam probat. 13) Vane dicunt Calvin. regentis claram esse. 14) Neque ad hanc claritatem sustinendam in spiritu privato refugium quaeri, potest. 15) Via examinis, qua singuli ex script. determinant veritates necessarias, improporcionata plurimis est, et pessimas sequelas habet.

§. III.

Traditio.

1) Praeter SS. existunt traditiones ad dogmata pertinentes. 2) Hae quod constanter semper et universaliter continuatae fuerint, ex eo certi efficimur, quod veritates, quae ex illis hauriuntur, integrae et incorruptae ad nos usque pervenerint. 3) Verbum Dei traditum reperitur praecipue in scriptis SS. Patrum, quorum moralis in fidei ac morum consensus, summam parit certitudinem. 4) Eos sequi hinc recte praecipit Trid., quae lex et de *dogmatibus* nondum expresse definitis intelligenda est. 5) Hisce vero PP. in materiis, quae rationis sibi soli relictas lumine deteguntur, nulla propria competit auctoritas.

§. IV.

Societas Christiana.

1) Christus ecclesiae docenti et credenti permittit, quod in nullo dogmate fidei et morum sit erratura. 2) Haec ecclesiae auctoritas sola est medium, fidem in terris incorruptam servandi. 3) Christus quoque apostolis eorumque successoribus ligandi solvendi que potestatem dedit. 4) S. Petro tamen, et Romano pontifici in hierarchia ecclesiastica primatus non solum honoris, sed et iurisdictionis datus est. 5) Po-

testas ligandi semper ad aedificandum, numquam vero ad destruendum exercenda continet sub se potestatem, leges novas ferendi, transgressores puniendi, excommunicandi. 6) Ecclesiam suam instituit Christus perpetuo visibilem. 7) Huius verae ecclesiae notae sunt: Vnitas, Sanctitas, Catholicitas atque Apostolicitas.

§. V.

Essentia Dei.

1) Christus est verus Deus, Patri consubstantialis. 2) Spiritus S. non est mere virtus Patris, sed ipse verus etiam aeternusque Deus. 3) Filius a solo Patre generatur, Spiritus S. ab utroque procedit. 4) Tres igitur sunt in vna essentia diuina personae non solo nomine distinctae.

§. VI.

Corruptio et restitutio generis humani.

1) Creauit Deus hominem ad imaginem suam, corpore immortalem, constituitque eum in iustitia et sanctitate, et a rebelli concupiscentia immunem fecit. 2) Sed peccauit Adam, et peccando bona mox descripta et sibi et posteris amisit, atque in eos tam corporis quam animae mortem transfudit. 3) Extat hinc pec. orig. propagatione non imitatione in omnes diffusum, etiam in filios fidelium. 4) Iesus Christus vt grande illud generis humani redemptionis opus absolueret, veram carnem et verum corpus assumpsit, non e coelo, sed ex M. V. matre sua. 5) Veram quoque habuit animam rationalem. 6) Vna igitur eademque persona in Christo Deus et homo est, adeoque non moralis, sed realis, physica et personalis vnio datur inter Verbum et naturam humanam. 7) Facta vnione illa nulla facta est confusio, permixtio

aut

aut mutatio vtriusque naturae, sed salva permanfit
 utraque cum suis proprietatibus. 8) Adeoque duplex
 in Christo voluntas et operatio admittenda. 9) Reii-
 cienda vero communicatio idiomatum in abstracto.
 10) Christus nobis meruit gratiam sanctificantem
 Adae peccato amisfam, peccatorumque actualium re-
 missionem. 11) Non gratis ista, nec doctrina so-
 lum aut exemplo id effecit, sed vero dato sanguinis
 sui praetio nos redemit.

§. VII.

Sanctificatio.

1) Gratia interna supernaturalis, voluntatem
 mouens, necessaria est ad omne opus salutare perfi-
 ciendum. 2) Imo ad initium fidei. 3) Nec datur
 secundum merita nostra. 4) Praeter efficacem gra-
 tiam datur et inefficax, quae tamen veram confert et
 relatiuam, saltem mediatam bene agendi potentiam.
 5) Semper adest iustis volentibus urgente praecepto.
 6) Gratia permanens in homine, seu iustificatio non
 consistit in sola imputatione externa iustitiae Christi,
 sed in eo quod peccata vere deleantur, et anima inter-
 rius renouetur. 7) Accepta semel iustitia effectiue
 iterum amitti potest. 8) Fontes gratiae sanctificantis
 sunt Sacramenta n. Legis, quae istam ex opere operato
 producant. 9) Septem autem nec plura nec pauciora
 sunt vere et proprie dicta Sacramenta n. l. 10) Baptis-
 mus tollit pec. orig. et actualia in baptifato rite dispo-
 sito. 11) Hic in aqua naturali conferri debet. 12)
 Estque omnibus necessitate praecepti et mediis lege or-
 dinaria ad salutem necessarius. 13) Paruulis quoque
 administrari potest. 14) In Eucharistia Christus vere,
 realiter et substantialiter praesens est. 15) Et quidem
 panis et vini substantia plane non remanente. 16)

Omnium

Omnium peccatorum remissio per poenitentiae Sacramentum ab ecclesia dari potest. 17) Confessio omnium peccatorum mortalium, ex institutione Christi necessaria est ad eorum remissionem impetrandam. 18) Matrimonium insolubile est.

§. VIII.

Ex Theologia morali.

1) Homini Christiano certae, quibus actiones suas conformare tenetur, normae sunt praescriptae, quae leges vocantur. 2) Hae leges siue naturales siue positivae et positivae siue divinae siue humanae et hae vel ecclesiasticae vel civiles in conscientia obligant. 3) Confessarius tenetur iudicare secundum leges civiles, hominesque admonere ad id explendum quod decisum est in foro civili, licet non raro mitior aequitas naturalis in eiusmodi iudiciis civilibus optanda esset. 4) Quod iustum licitum et validum est in foro civili, idem valet in foro conscientiae, adeoque asserendum est 5) testamentum in foro externo ut nullum declaratum etiam nullum esse in foro interno, pacta aliosque actus civiles secundum leges civiles inualida, etiam in foro interno non valere.

§. IX.

Ex Iure naturali civili statutarie Moguntino.

1) Amplissima Imperantium potestas non ex immediata Dei collatione sed ex pacto unionis et subiectionis deducenda est. Imperans potest omne id et hoc solum, quod salus publica exigit. 3) Subditi tenentur ad salutem reipublicae consequendam, censum et tributa, si ab eis exigantur, tam ordinaria quam extraordinaria pendere. 4) Imperanti haud plus quam ei delatum sit, potestatis convenit. 5) Priuatus inuaforem bonorum suorum, si ea aliter seruare nequit, occidere potest. 6) Vtrique parenti par competit in liberos

beros potestas. 7) praescriptio non est iuris naturae, ~~tamen non est iuris naturae~~, tamen non est contra ius naturae. 8) praescriptio est modus legitimus acquirendi dominium; 9) requisita ad praescriptionem necessaria secundum ius can. sunt a) habilitas, b) bona fides et quidem continuata, c) lapsus temporis lege determinati, 10) res aliena tempore legitimo nondum possessa detecto iniusto possessionis titulo debet restitui vero domino. 12) Interim tamen possessores b. et m. f. re aliena evicta differant ratione fructuum restituendorum. 11) Ad testamentum requiruntur solemnitates in- et externae, quibus deficientibus testamenta in utroque foro sunt nulla. 13) De iure communi septem requiruntur testes, de stat. Mog. tres sufficiunt, 14) fratribus et sororibus non debetur legitima nisi persona turpis ut heres instituat; 15) liberi tantum propter 14 causas nou. 115. c. 3. assignatas exheredari possunt, et probabilior videtur sententia, quae negat eos propter similes exheredari posse. 16) Codicillus est species testamenti, ad cuius valorem *clausulam codicillarem* requirimus, quae tamen de stat. Mog. remissa est.

§. X.

Ex Theologia pastorali.

1) Baptisati ob obstetricem in casu necessitatis rebaptisandi sunt. 2) Consuetudo de se non obstat, quo minus peccator absoluetur licet consultius sit expectare signa poenitentiae. 3) Consuetudinarius insigniter emendatus absolueudus est, nec expectandum tempus, quo omnis consuetudo extincta sit. 4) Curatus tenetur gregem sibi commissum doctrina et exemplo aedificare et pascere, hinc 5) eum oportet, praeter scientias necessarias, etiam comitatem et mansuetudinem in suis moribus gerere, 6) atque bonis sacrae eloquentiae regulis instructum esse.

§. XI.

Ex historia Ecclesiastica.


1) Purior ecclesiae disciplina, quae primis 8 seculis viguit, per falsas Isidori decretales quoad magnam partem corrupta est, quae seculis subsequenter in praxin deductae sunt. 2) Ex hoc fonte sicuti et ex consensu tacito vel deserto episcoporum aliisque de causis introducta reservatio causarum maiorum. 3) Dispensationum in legibus ecclesiae generalibus. 3) Beneficiorum. 4) Grauiorum casuum. 5) Iurisdictio immediata in omnes fideles. 6) Mos recentior mittendi legatos cum iurisdictione ordinaria. 7) Inter pontifices RR. qui iurisdictionis suae limites in medio aeuo cum praerudicio potestatis episcopalis, metropolitanae, imo et Imperantium dilatarunt, praecipui sunt Gregorius VII., Innocentius III., Gregorius IX., Bonifacius VIII., Innocentius IV., Ioannes XXII. 8) Querelis nationum potissimum tempore magni schismatis auctis, parum consultum fuit per concilia, Pisanum, et Constantiense. 9) In posteriore tamen auctoritas concilii generalis supra pontificem sessionibus IV. et V. est stabilita, quarum quidem sessionum decreta sunt omnino authentica concilii oecumenici. 10) Melius nationum grauaminibus consultum fuit per Concilium Basileense et nationi Germanicae per sic dicta Concordata principum, quorum tamen efficacia maximam partem amissa per Concordata Aschaffenburgensia. 11) Sed quae nostris temporibus anno 1764 Francofurti, an 1769. Bonae, et maxime an. 1786. in thermis Emsanis eam in rem gesta sunt demonstrant summorum Germaniae praesulum, augustissimique Imperatoris sollicitudinem in tollendis patriae grauaminibus recuperandis amissis, iuribus, feliciorisque exitus spem faciunt.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



A 1 2 3 4 5 6 8 9 10 11 12 13 14 15 17 18 19
R G B W G K C Y M



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007